# VITA GODEFRIDI BULLIONENSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ORDINIS SUMME VENERABILIS JENENSIS

DOCTORIS PHILOSOPHIAE GRADUM

RITE CAPESSITURUS

EXHIBET

**GUSTAVUS BEYER,**
PASTOR SIMMERSHUSENSIS.

MARBURGI-CATTORUM.

TYPIS ELWERTI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCLXXIV.

**Amicis suis carissimis,**

# Henrico Anding,

pastori Mariendorfio,

nec non

# Carolo Maschmeier,

philosophiae doctori,

scholae cathedralis Gustrovensis praeceptori,

hasce studiorum primitias

signum amicitiae intimae exiguum

dedicat

**auctor.**

Inter viros nobiles historiae germanicae Godefridus Bullionensis, Lotharingiae inferioris dux, locum obtinet insignem. Amore Dei et Christi motus omnia sua relinquit, iter facit longum cum exercitu magno in orientem, famem sitimque patitur, alias itineris molestias perfert et pericula, vitam ipsam pro nihilo putat, ut contra Turcas defendat Christum redemptorem, ut Turcae de Christi sepulcro depellantur et ut in terra sancta constituatur regnum christianum.

Inceptum Dei auxilio prospere processit. Christi sepulcrum liberatur. Eripitur ex Turcarum manibus terrae sanctae imperium. Godefridus, semper et ubique Dei gloriam, nunquam et nusquam terrestria secutus, regni rex primus Hierosolymitani eligitur.

Quamobrem Godefridus in virorum nobilissimorum numero populi germanici et historiae germanicae est habendus. Num nobis necesse est plura proferre argumenta, quae ad vitam Godefridi tractandam nos permoverint?

Sub seculi undecimi finem omnium oculi in orientem sunt conversi.

Gregorius VII papa omnes vires intendit, ut theocratiam universalem instituat et orbis terrarum principes populosque, clericos et laïcos, nutui voluntatique summi episcopi Romani faciat obedientes [1]).

---

1) Dictatus papae (Greg. epist. II, 55):
quod solus possit uti imperialibus insigniis,
quod solius papae pedes omnes principes deosculentur,
quod illi liceat imperatores deponere,
quod a fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.

Qua mente ductus efficit Gregorius, ut paparum electiones solis cardinalibus episcopis commendentur. Antequam Gregorius ipse ad sedem apostolicam promovetur, ejus impulsu auctoritas, qua nobiles Romani in papa eligendo valebant, jam deleta est. Invitis nobilibus Romanis Nicolaus II papa anno millesimo quinquagesimo octavo est electus. Hanc auctoritatem imperatoris Germanici ipsius delet Gregorius papa, qui ad sedem apostolicam promovetur, Henrico IV imperatore non assenso.

Qua mente ductus efficit Gregorius, ut principes seculares se abdicent jure, quo episcopos et abbates officiorum insignibus, annulo et baculo, usque adhuc investiant. Legem statuit, ut nullus princeps secularis officium ecclesiasticum e laïci manibus accipiat.

Qua mente ductus efficit Gregorius, ut clerici matrimonio ipso se abdicantes vinculis firmissimis cum ecclesia conjungantur. Omnes clericos esse caelibes et eos, qui uxorem in matrimonio habeant, uxorem dimittere jubet.

Qua mente ductus efficit Gregorius, ut omnes populi christiani excitentur et se paratos habeant ad bellum inferendum et interitum parandum Turcis, qui dirupuerint imperium graecum, irrupuerint in terram sanctam, arripuerint sepulcrum Christi redemptoris [1]).

1) Greg. epist. I, 46: Ad Guilielmum comitem Burgundiae.... Neque enim se condecet oblivisci promissionis, qua Deo se obligavit valencia vestra, ut quacumque hora necesse fuisset, vestra manus ad dimicandum pro defensione rerum St. Petri non deesset, siquidem requisita fuisset. Unde rogamus, ut praeparetis vestrae militiae fortitudinem ad succurrendum Romanae ecclesiae libertati; scilicet, si necesse fuerit, veniatis huc cum exercitu vestro in servitio St. Petri. Hoc idem rogamus vos monere comitem St. Aegidii et socerum Riccardi Capuani principis et Amadeum filium Adelettae caeterosque quos cognoscitis St. Petri esse fideles, et qui similiter manibus ad coelum extensis promisere. . . . . . Speramus etiam quod forsitan alia inde utilitas oriatur; scilicet ut, pacatis Normannis, transeamus Constantinopolim in adjutorium christianorum, qui, nimium afflicti creberrimis morsibus Sarracenorum, inhianter flagitant, ut sibi manum nostri auxilii porrigamus.

I, 49 ad omnes christianos:

. . . . Scitote igitur nos parare, ut adjutorium christiano imperio quam citius Deo juvante faciamus. Unde vos obsecramus, ut et vos

Inceptum conficere Gregorius non potuit. Causae, quas contra Henricum imperatorem obtinebat, eum impediverunt. Sed convertit Gregorius in orientem omnium oculos.

Mentem Gregorii adjuvat et rem infectam ad maturitatem perducit aetatis studium religiosum. Monasteriorum numerus illo tempore eximie augetur. Multi, patre et matre desertis, post monasteriorum muros salutem petunt, alii ab hominum consuetudine ad deserta silvasque effugiunt. Contemnunt mundum. Deo soli vivere volunt. Castigant carnem verberibus, famem et sitim, frigus et nuditatem perferunt ac patiuntur, taciturnitatem sibi imponunt, consumunt totum diem, peccatorum poenitentes, in orationibus, ut anima vitam in Dei consuetudine sola habeat beatissimam. Horae beatissimae iis sunt in compunctione, qua homo in eum statum movetur, ut, corpore quasi exstincto, anima in Deo solo quiescat [1]). Quorum hominum animos in Hierosolyma terrestria, imaginem Hierosolymorum coelestium, perpetuo conversos fuisse, apparet et exstat.

Praeterea tempora sunt seditiosissima. Omnium occidentis terrarum populi, principum et superiorum arbitrio traditi et nimiam oppressionem passi, status meliores desiderant.

Philippus, Franciae rex, flagitiis et stupris maculatus, subditos suos et peregrinos in Francia moratos depopulatur. Regni principes et majores regem despicientes populum omni modo vexant [2]).

---

vulnera et sanguis fratrum et periculum praefati imperii, digna compassione moveat et vestra virtus pro Christi nomine non invitam fatigationem ad ferenda fratribus auxilia subeat.

II, 31 ad Henricum regem Romanorum.

II, 37 ad universos fideles.

1) Historia conversionis Ebrardi vicecomitis Carnotensis. (Bouq. XIV p. 33).

Praeterea vitae multorum sanctorum illius temporis.

2) Greg. epist. II, 5 ad episcopos regni Francorum: Quidquid foedum, crudele, miserandum intolerandumque est, ibi (in Francia) et impune agitur, et adepta licentia jam in consuetudine habetur. . . . Omnes horrenda et multum execranda facinora multoties committunt. Nihil humani nihilque divini attendunt. Perjuria, sacrilegia, incestum per-

Italiae inferioris imperio potiti sunt seculo decimo exeunte Normanni, principes occulti et astuti, avari et infideles. Jugum gravissimum, per multos annos perlatum, populi dejicere desiderant[1]).

Et Germaniae populi desiderant status meliores. Cujus terrae ipsius tempora sunt seditiossima. Regni principes multi Henrico imperatorii denegant obedientiam. Henrico cum iis pugnandum est, ut eos ad obedientiam redigat debitam. Gregorius papa et successores postulant, ut Henricus imperator potestati ecclesiasticae sese subjiciat. Henricus cum iis pugnandum est, ut jus suum obtineat. Regni cives temporum oppressionem magnam aegerrime ferunt[2]).

Huc accedit, ut multi homines ex oriente reversi omnium oculos denuo convertant in orientem[3]), praesertim ad Hierosolyma et ad sepulcrum Christi. Nuntium enim afferunt, christianorum in terram sanctam proficiscentium ibique morantium miserias ac difficultates non solum esse nimis magnas, sed etiam in dies crescere, quod Saraceni vim et crudelitates exerceant in christianos. Nemo quidem exponit, quomodo difficultates ac miseriae de medio sint tollendae; nemo demonstrat, quomodo occidentis populi auxilio veniant orientis fratribus. Nihilo tamen secius non est dubium, quin expeditio in terram sanctam necessarie sit facienda; nec quisquam dubitat, auxilii his miseris ita ferendi officium sibi imponere et ad eos, si fieri possit, a Turcarum jugo liberandos sese habere paratum.

---

petrare, sese invicem tradere pro nihilo ducunt. . , Quarum rerum rex vester qui non rex, sed tyrannus dicendus est, suadente diabolo, caput et causa est qui omnem aetatem suam flagitiis et facinoribus polluit.
Urbani epist. 23 (Bouq. XIV p. 702).
Ibid. p. 24 et p. 683.

1) Stenzel I. p. 30—32 et p. 155—161.

2) Stenzel I. p. 344—552.

3) Baldr. p. 86: Videlbamus aliquando cives ipsius Jerusalem inter nos, mendicos et exules. Videbamus indigenas Antiochiae, casum locorum sanctorum deplorantes; sibique pauperatis, suppliciter stipem publicam implorantes . Aliqui condolebamus egenis; id ipsum siquidem per nostros, si revertebantur, peregrinos audiebamus.

Imo Deus ipse, misericordia captus, miraculis innumerabilibus ad rem sanctam efficiendam omnes chritstianos incitat. Videntur nubes sanguineae, cometae splendorem gladii more protendentes, faculae per aërem volantes, stellae de coelo cadentes in terram. Equites in aëre concurrunt concertantque Mulier duobus annis impraegnata filium parit loquentem [1].

Quae sunt in omnium ore et sermone, in concilio anno millesimo nonagesimo quinto Clarumontem vocato Urbanus VI papa oratione longa exprimit [2]. Coram multis hominum millibus [3]. Urbanus II christianorum in terram sanctam proficiscentium et inde domum redeuntium molestias accuratissime enumerat, Hierosolymis peregrinantium angustias verbis disertis desrcibit, Saracenorum crudelitates coloribas vivacissimis pingit.

Imprimis Urbanus in medium profert [4], a Saracenis ecclesias terrae sanctae deleri, altaria inquinari, terram ipsam vastari, christianos partim in servitutem abduci, partim obtruncari, constuprari mulieres. Quae flagitia haud amplius impune esse relinquenda. Christiani cujusvis esse officium, ut laboret, ut occidentis fratres orientis fratribus subveniant, terram sanctam Christi praesentia illustratam, passione ejus sacratam, Saracenis eripientes atque sepulcrum sanctum expugnantes. Omnes, qui sint accepturi viam Hierosolymitanam, ut contra Saracenos pugnent, adepturos esse remissionem peccatornm et liberatum iri per triennium vectigalibus, tributis usurisque pendendis [5].

---

1) Ekkeh. 9—10. Ex chronico Saxon. (Bouq. XIII. p. 715). Chron. Alberici (Leibn. access. t. II. p. 143) ad aunum 1095.

2) Duo scriptores expeditionis Hierosolymitanae concilio interfuerunt, Robertus monachus et Guibertus abba.

3) Rob. mon. I. p. 31: exivit dominus papa in quadam spatiose latitudinis platea: quia non poterat illos capere cujuslibet aedificii clausura.
Will. Malmesb. (Bouq. XIII. p. 6): opinionem hominum vincebat numerus, quamvis aestimarentur sexagies centum millia itinerantium.

4) Rob. mon. I. p. 31—32. Guib. II.4. Will. Tyr. I. 14—16 Fulch. 1. Will. Malmesb. 1. c.

5) Guib. II. 5: (Urbanus) omnes, qui se ituros voverant, beati Petri potestate absolvit.
Ibid.: Praeterea omnes illos atroci dampnavit anathemate, qui eorum

Omnium animi valdissime commoti sunt Urbani oratione. Dum Urbanus orationem recitat, populus eum saepe interrumpit plausu crebro. Vix autem peroravit, quum multitudo una voce erumpit in verba: Deus vult, Deus vult!

Adeptus est Urbanus, quod adepturus fuit Ut animos incenderet oratione, cupivit. Animi incensi sunt. Iram in Saracenos evomunt. Dolorem hauriunt maximum ex angustiis, in quas compulsi sunt Hierosolymis peregrinantes. Viri et feminae, juvenes et virgines, senes et liberi, divites et pauperes, principes et mendici, omnes consentiunt, expeditionem in terram sanctam, qua expugnetur sepulcrum sanctum et Saraceni terra sancta expellantur, diutius non esse differendam. Alteri alteros, pater filium, conjux conjungem sponsa sponsum exhortantur, ut omnia terrestria relinquentes expeditioni se dedant faciendae.

Statim multi expeditionis participes inveniuntur. Quos Deo benignitate gratiaque dividi commentatos signo crucis [1]) ornat Urbanus. Ex principum numero ad Urbanum adeunt Ademarus Podiensis episcopus, quem sibi substituit pro duce ecclesiastico expeditionis [2]), et Raimundus Tolosanus comes [3]).

Concilio finito Urbanus remanet Claromonte complures dies, ut consulat cum principibus, et clericis et laïcis, quam viam exercitus sint ingressuri, quo loco et quo tempore se conjuncturi et quomodo res optima adjuvetur aducaturque mox ad exitum bonum. Quibus rebus factis discedunt, censentes, decreta sta-

---

uxoribus, filiis aut possessionibus, qui hoc Dei iter aggrederentur, per integrum triennii tempus molestiam auderent inferre.

1) Molanus p. 84: Ex quo expeditio quoque ipsa cruciata est nuncupata.

2) Fulch.' l.: qui (Ademarus) post ea vice fungens apostolica cunctum Dei exercitum prudenter et consulte rexit et ad negotia peragenda vivaciter animavit.

Will. Malmesb. (Bouq. XIII. p. 6): Aimarus Podiensis episcopus, qui postea exercitum illum auxit prudentia, rexit eloquentia.

3) Will. Malmesb. l. c.: Raimundus primus omnium laïcorum crucem accepit.

bilia esse facienda ab iis principibus, qui cum exercitibus suis Hierosolyma sint exituri.

Ex quo ubique crux praedicatur. Omnes domum e Claromonte reversi suis enarrant, quae ibi viderint audiverintque. Urbanus ipse Franciae urbes circumit, crucem praedicans. Omnes domum ex Hierosolymis reversi angustias christianorum ante oculos sibi positas confirmant. Orientis mendicorum in Italia, in Francia, in Germania vagantium numerus magnus omnium in animis motum excitat maximum. Ad principes autem et ecclesiasticos et seculares, qui concilio non interfuerunt, Urbanus mittit legatos, qui omnibus officium imponant, ut pro viribus, et consilio et re, conatum sanctum adjuvet quisque.

Quid plura? Ubique virorum numerus magnus occidentis partes circumit, hortationem spargens in animos, ut, quicunque habeant corpus sanum et membra incolumia, assumant crucem. Undique confluunt homines hortationes audituri [1]).

Statim constituuntur turbae, quarum numerus in dies crescit. Omnes parant bellum incipiendum. Omnes contra Saracenos dimicandi copiditate flagrant. Nemo domi vult remanere.

Quicunque dolore afflicti sunt, quod loca terrae sanctae sancta a Saracenis obtinentur, ad sepulcrum sanctum liberandum parati assumunt crucem. Hierosolyma sunt profecturi.

Quicunque domi premuntur principum arbitrio vel suspirant sub aeris alieni onere, occasione evadendi ex his angustiis arrepta, assumunt crucem. Hierosolyma sunt profecturi.

Quicunque sceleribus, facinoribus et flagitiis se alligaverunt, redemptionem oblatam peccatorum adepturi assumunt crucem. Hierosolyma sunt profecturi.

Quicunque aviditati pecuniae domi satisfacere non possunt spe incitati, in oriente se divitias sibi paraturos esse, assumunt, crucem. Hierosolyma sunt profecturi.

1) Petrus eremita Italiae, Franciae et Germaniae transrhenanae partes circumit, verbis disertissimis animos excitans ad bellum sanctum. Orationes hujus viri, qui ipse Hierosolymis brevi antea aerumnas fidelium oculis propriis intuitus est, effectus vere sunt mirabilis. cf. chronicon Saxon. (Bouq. XIII. p. 715). Guib. II. 8.

Quicunque ex equitum numero belli gloriam frustra secuti sunt vel gloriam sibi acquisiverunt dubiam, summe gavisi, tandem sibi patefactas esse gloriae portas, assumunt crucem. Hierosolyma sunt profecturi.

Quicunque cunctantur [1]) patriam deserere et cum catervis ubique constitutis se conjungere, motu cuique statui aetatique communi ad inceptum sanctum participandum impulsi assumunt crucem. Dubitatione quaque sublata, Hierosolyma sunt profecturi.

Quae cum ita sint, ex quovisvitae aetatisque statu [2]) iter summo studio comparant turmae magnae, vendibilia vendentes, res ad iter necessarias reservantes vel ementes, urbani atque rustici, nobilitas atque plebs, patresfamilias cum familiarum membris universis, conjugibus liberisque inclusis, atque patres singuli aut filii, senes ipsi debiles virginesque. Ex occulto, praefectis insciis, cellas monachi, dominorum domos deserunt servi [3]). Mendicus it ad saccum. Latro corripit gladium. Multi non contenti, quod signum crucis lanatum ad humeros affigitur, signum ad corpora sibi adurunt. Discedendi quum tempus affuerit, exprimuntur permagni singultus, suspiria, lacrimae, orationes et abeuntium et remanentium [4]).

In iis, qui ad sepulcrum sanctum liberandum contra Saracenos bellum parant, est Godefridus, Lotharingiae inferioris dux, ad cujus viri nobilis vitam brevi tractandam nunc nos praeparabimus.

De Godefridi vitae priore parte, antequam iter ingressus

---

1) Guib. II. 6: Nec illud minus ridiculum, quod hii plerumque, quos nulla adhuc eundi voluntas attigerat, dum hodie super omnimoda aliorum venditione cachinnant, dum eos misere ituros miseriusque redituros affirmant, in crastinum repentino instinctu cum eis proficiscebantur quos riserant.

2) Will. Tyr. I. 16,

3) Chronicon Alberici p. 147.

4) Fulch. II.: O quantus erat dolor! quanta suspiria! quot ploratus, cum maritus derelinqueret uxorem suam sibi tam dilectam, pueros quoque suos, possessiones quantaslibet, vel patrem, vel matrem, aut fratres, aut parentes etc.

est Hierosolymitanum, scriptores nobis plura enarrant, quae paene omnia cum commentis sunt satis commixta. Quod facile intellegitur. Expugnatis Hierosolymis et sepulcro sancto liberato, omnes eum illius temporis heroëm fecerunt. Quamvis principes et populi, Godefridi periculorum et rerum gestarum socii, laudem sibi magnam pepererint, tamen Godefridus solus fructum carpit et omnes eum solum laudibus ad coelum efferunt. Godefrido soli, regni Hierosolymitani regi primo, omnem gloriam tribuunt communiter captam. Quo factum est, ut censerent, jam Godefridi juventutem gloriae maximae esse testimonio, et ut narrationes de Godefridi juventute nobis traditae cum commentis plus minusve commiscerentur.

Ut Godefridus quam maxime emineret inter principes, a Carolo Magno originem traxerunt [1]).

Ida mater praesagivisse narratur, filiorum trium primum comitem, secundum ducem, tertium factum iri regem. Quem ordinem praesagitum filii sunt consecuti. Eustachius factus est comes, Godefridus dux, nomen regis aspernans, rex Balduinus [2]).

Godefridus juvenis saepe dicitur desideravisse, ut cum exercitu magno ad Christi sepulcrum liberandum Hierosolyma proficisceretur. Quod desiderium expeditione expletum est Hierosolymitana [3]).

Formam speciemque [4]) significant splendidam.

Godefridus quum ad Henrici imperatoris aulam cum comitatu magno adveniat, Henricus ex suis quaerit, quis sit eques

1) Will. Malmesb. (Bouq. XIII. p. 7.): Godefridus nulli unquam militi virtute secundus de antiqua Caroli Magni linea originem trahens, et cui vere plurimus inerat Carolus, tam sanguine, quam mente.

2) Will. Tyr. IX. 6. Guib. II. 12.

3) Guib. l. c.: non simpliciter, ut alii, sed cum violentia exercitus magni.

4) Will. Tyr. IX. 5: corpore, procerus, robustus sine exemplo, membris solidioribus, thorace virili, facie venusta, capillo et barba flavus mediocriter, in usu armorum et exercitio militari omnium judicio quasi singularis.

magnificus cum comitatu magnifico. Cognito Godefridum esse Bullionensem, ejus fronti genisque oscula dat Henricus [1]).

Dignitatem equestrem servans Godefridus orbam praediis spoliatam defendit contra adversarii superbi injurias. Certamine singulari conserto cum adversario sedat contentionem [2]).

Quomodo Godefridus vir justus et eques fortis injurias arroganter sibi ipsi illatas impune relinquere nequiverit atque jus optimum suum obtinuerit, ex causa a principe quopiam consanguineo contra Godefridum constituta declaratur [3]).

Ille sibi petit praedia longe lateque diffusa, quae Godefridum habere in possessione injusta dicit. Henricus imperator causam dirimere nititur, sed frustra. Petitor postulat, ut Godefrido praedia eripiantur, Godefridus de jure suo non cedens postulatum denegat. Quare uterque paciscuntur, ut ad causam discernendam inter se pugnent, quamvis principes imperii certamen censeant esse vitandum. Certamen conserunt ad horam dictam coram multitudine populi, equitum et principum magna. Virtute laudabili pugnant uterque. Neuter alterum superare potest. Accidit autem, ut Godefridi adversarium ictu acerrimo aggredientis gladius dirumpatur et Godefridus ob eam causam videatur esse superatus. Principes admonent, ut pugnatores certamine desistant. Nihilominus tamen Godefridus in certamine perseverat, donec adversarium prostravit gladio semipedali. Gaudio triumphat. Plaudunt omnes. Attamen a principibus, qui certamini affuerunt, omnibus precibus petit, ut animum morituri sibi reconcilient. Quibus precibus assentiunt.

Quanta fuerit Godefridi fides Henrico imperatori servata, ex fortitudine demonstratur, quam in pugna apud Merseburgum pugnata et in expeditione Henrici adversus Gregorium papam facta praestiterit.

Henricus imperator est in magnis angustiis Gregorius VII papa Henricum excommunicavit liberavitque omnes subjectos fidei jurejurando. Regni germanici principes Henrico imperium

1) H. von Sybel p. 259.

2) Ibid.

3) Will. Tyr. IX. 7.

abrogarunt et Rudolphum Suabensem elegerunt regem. Paratus est exercitus magnus ad Henricum de imperio depellendum. Ut alterius adversarii gratiam recuperet, Henricus a Gregorio absolutionem petit. Canossae absolvitur sub conditionibus gravissimis. Ut alteros adversarios in ditionem imperii redigat, exercitum colligit. In numero fidelium parvo est Godefridus Bullionensis. Acerrima pugna pugnatur apud Merseburgum anno millesimo octogesimo. Utraque pars fortiter pugnant. Modo victoria penes Henricum, modo penes Rudolphum constat. Victoriae dubiae finem Godefridi gladius ponit. Rudolphum ipsum Godefridus aggreditur. Uterque violentissime pugnant. Godefridus vincit. Rudolphi manum dextram caedit ejusque ventri vulnus tam grave infert, ut mox ex vulneribus moriatur [1]).

Subinde Henricus imperator cum exercitu in Italiam proficiscitur, ut Gregorium papam cogat ad abdicationem. Godefridus, Henricum secutus, primus in Romae muros ascendisse et morbo gravi conflictatus votum vovisse dicitur, sese iter, si convaluerit, aggressurum esse Hierosolymitanum [2]).

Sic factum est, ut Henricus imperator jam juveni Godefrido, antequam hic fidem fortitudinemque imperatori praestitissit, paucis annis post Godefridum gibbosum avunculum mortuum Lotharingiae inferioris ducatum fidei fortitudinisque praestitae praemio dedisse narraretur [3]).

Postea cum cygni fabula ipsa nomen Godefridi contextum est, ita ut etiam apud posteros honoribus quam maximis ornatus et amplificatus videretur [4]).

1) Will. Tyr. IX. 8. Molan. p. 84.
Laur. de Leodio (Bouq. XIII. p. 629),

2) Alb. Aq. V. 13. Molan. p. 84.

3) Will. Tyr. IX. 8: Cum congressionis dies (inter Henricum et Rudolphum) immineret, et ordinatis legionibus uterque exercitus in procinctu se haberet praeliandi, convocatis ad se principibus imperator quaerit, cui tute possit imperiale committere vexillum et tantorum exercituum constituere primicerium? Cui de communi consilio datum est responsum: Dominum ducem Lotharingiae Godefridum prae omnibus ad id oneris idoneum et sufficientem esse.

4) Will. Tyr. IX. 6: Praeterimus studiose, licet id verum fuisse

Hactenus de Godefridi juvenis historia cum commentis commixta: nunc de Godefridi historia vera.

Godefridus Bullionensis, natus ad annum millesimum sexagesimum quintum, originem trahit a familia comitum Boloniensium [1]). Parentum filius primus fuit Eustachius, Godefridus secundus, tertius Balduinus. Pater, Eustachius nomine [2]), ab aetatis suae et regionis illius hominibus propter honestatem et vitam religiosam amatus est. Opera et facta singularia viri illustris temporibus nostris non tradita sunt. Mater, Ida nomine [3]), nota est femina, summa aestimatione dignissima. Excelluit inter omnes Dei timore sincero. Laudem sibi peperit maximam moribus puris.

Hos parentes Godefridum filium, praesertim quum corpori venusto et pulchro animus altus et eminens inesset, educavisse cum cura et ante omnia ad pietatem impulisse, facile intelligitur. Educatio iis mercedem tulit ditissimam. Godefridus parentum vestigiis ingressus res magnas effecit.

Godefridus juvenis in contentiones graves saepe adductus est tum a principibus, tum ab episcopis vicinis.

Godefridus gibbosus avunculus, Idae matris frater, a sicario in urbe Antverpia interemptus et orbus mortuus anno millesimo septuagesimo sexto [4]), Godefridum consobrinum omnium prae-

---

astruat narratio plurimorum, cygni fabulam, unde vulgo dicitur, sementivam eis fuisse originem; eo quod a vero videatur deficere talis assertio. Chronicon Alber. ad annum 1076 p. 120: Istae duae Idae et earum successio, hoc est genus, quod dicitur Heliae militis, quem cygnus adduxit et reduxit, si creditur.

1) Mayer p. 193—194 et p. 231. Will. Tyr. IX. 5.
Vita beate Idae (Bouq. XIV. p. 113), cf. Guib. II. 12.

2) Vita b. Idae: Carolo etiam regi consanguinitate proximus, corpore et animo actuque saeculari validissimus longe lateque fama nominatissimus.

3) Ibid.: adolescentula insignis, exorta nobillissima prosapia. Ibid.: Factum est autem, cum tantorum venerabilis Ida mater esset filiorum, adhuc illis in cunabulis jacentibus, non sinebat alienis, sed propriis lacdari uberibus, timens, ut pravis contaminarentur moribus.

4) Sigeb. Gembl. (Bouq. XIII. p. 257 n. a.).

diorum longe lateque diffusorum instituerat heredem [1]). Quae praedia vindicabat sua Albertus, comes Namurcensis, aliae Idae maritus [2]). Contentio quum colloquio inter utrumque serto componi non possit [3]), uterque comparant bellum. Godefridum juvat auxilio Henricus episcopus Leodiensis [4]). Qui, castro Mirwaldo inter Namurcum et Bullionem constructo [5]), Albertum cogit, ut castro cedat Bullione. Sic Godefridus fuit superior. Certamine singulari, coram Henrico imperatore et equitum populique numero magno inter Godefridum et Albertum conserto, contentionis finem esse positum, non est verisimile.

Alia contentio eodem tempore exorta est Godefrido cum Theoderico episcopo Virdunensi [6]). Theodericus, qui magno odio ferebatur in comites Bullionenses, quia urbem Virdunum nimis valde opprimerent, anno millesimo septuagesimo octavo comitatum Virdunensem Alberto comiti Namurcensi commisit, Gode-

---

1) Hist. Andag. monast. (Bouq. XIII. p. 587): quem (Godefridum Bullionensem) avunculus adhuc vivens adoptaverat ut haeredem sibi.

2) Chron. Alber. ad ann. 1076: Albertus per aliam Idam, uxorem suam, dictum Bullonium reclamabat.

Ad annum 1065 Albericus uxorem comitis Alberti vocat Raelendim; sed et Gislebertus Montensis Idae Boloniensis sororem Raelendem appellat. (cf. Bouq. XIII. p. 684 n. c.).

Hist. Andag. monast. l. c.

3) Hist. Andag. monast. l. c. (Bouq. XIII. p. 587).

4) Chron. Alber. ad ann. 1076 (p. 120): Henricus episcopus Leodiensis fuit tutor Godefridi juvenis.

Hist. Andag. monast. l. c.: (Henricus episcopus) Godefrido omnimodis favebat.

5) Hist. Andag. monast. l. c.: Hoc eodem anno (1082) refirmavit episcopus Henricus castrum Mirvolt.

Chron. Alber. ad ann. 1081: Henricus episcopus praeveniens eundem totum montem cum pertinentiis a Richilde comitissa emit et castrum Mirevalt reaedificavit.

Gisleb. Mont. (Bouq. XIII. p. 545): Henricus episcopus ad impediendum comitis Namurcensis transitum in medio castrum Mirwaldum construxit.

6) Laur. de Leodio (Bouq. XIII. p. 628—629).

frido a comitatu prorsus excluso. Godefridus quum autem jus suum obtineat, bellum commovetur. Utraque pars secum pugnant per multos annos. Stant cum Godefrido Henricus episcopus Leodiensis et Henricus comes de Grandiprato, usque adhuc in vinculis tentus. Cum Theoderico stat Albertus comes Namurcensis, qui Bullionem castrum obsidet. Sed Godefridus castrum suum liberat obsidione, in territorii Virdunensis habitatores, Sathanaco castro munito, multa facit hostilia et hostibus damnum contrahit magnum, donec ei contigit, ut hanc quoque contentionem anno millesimo octogesimo septimo ad exitum prosperum adduceret.

Inimicitias gerit cum Godefrido Theodericus ipse comes Flammensis[1]), Henrici imperatoris familiaris. A Godefrido comprehensus in captivitate mox[2]) mortuus est anno millesimo octogesimo secundo.

Postquam Henricus episcopus Leodiensis anno millesimo nonagesimo primo mortuus est[3]), Obertus ipse, Henrici successor[4]), Godefridum in controversiam vocat. Obertus, qui est partis Henrici imperatoris et laudi Guiberti papae ab illo nominati favet, monachos Andaginensis monasterii St. Huberti, qui Urbani papae auctoritati et gloriae serviunt, persecutus e monasterio ejicit atque Ingobrandum, coenobii Lobiensis monachum, abbatem monasterii Andaginensis designat. Ira succensi Godefridus dux et alii principes Oberto refragantur eumque cogunt, ut Ingobrandum dimittat permittatque monachorum reditum. Sic monasterii Andaginensis res usque ad annum millesimum nonagesimum sextum se habuerunt[5]).

An Godefridus, annos quindecim natus, pugnae apud

1) Hist. Andag. monast. (Bouq. XIII. p. 587): qui, in quibus poterat, adversabatur juveni (Godefrido).

2) Ibid.: post dimidium fere annum.

3) Chron. Alber. ad ann. 1091 (p. 139).

4) Ibid.: Qui (Obertus) servivit fideliter imperatori Henrico in parte Guiberti Ravennensis et ita donatus est.

5) Andaginensium monachorum St. Huberti epistola ad Urbanum (Bouq. XIV. p. 730).

Merseburgum pugnatae affuerit et Rudolphum ducem interemerit, in pendenti relinquimus. Scriptores temporibus illis aequales de Godefrido nihil commemorant [1]).

Godefridum cum Henrico imperatore in Italiam profectum esse certum habemus [2]). An Godefridus autem primus in Romae muros ascenderit et in morbum gravem implicatus votum fecerit, sese Hierolosyma, si convaluerit, contra Turcas profecturum esse, non liquet [3]).

Inde ab hoc tempore Godefridus fuit imperatoris amicus fidelis. Imperator amicum Lotharingiae inferioris ducem designat anno millesimo octogesimo nono [4]), marcha Antverpensi ei commissa anno eodem post Godefridum gibbosum mortuum [5]).

Legati quum ab Urbano papa in Germaniam transrhenanam missi [6]) ad Godefridum ipsum [7]) veniant, hic duplice tenetur

1) Torquato Tasso (VII. 72) Rudolphum a Godefrido interemptum esse censet. Godefridus hanc vocem mittit:

Questa è la spada, che'n battaglia il Franco
Rubello di Sassonia oprar solea,
Ch'io gia gli tolsi a forza! e gli tolsi anco
La vita allor di mille colpe rea.

2) H. von Sybel p. 262.

3) Stenzel I. p. 485—486.

4) Sigeb. Gembl. (Bouq. XIII. p. 259): Godefrido tandem datur ducatus Lotharingiae.

5) Chron. Sax. (Bouq. XIII. p. 714) ad ann. 1076.
Sigeb. Gembl. (Bouq. XIII. p. 257 n. a.).

6) Chron. Saxon. (Bouq. XIII. p. 716): Francibus orientalibus et Saxonibus, Thuringis quoque, Bawaris ac Alamannis haec buccina minime insonuit, propter illud schisma, quod inter regnum et sacerdotium Alexandri papae Teutonicos Romanis et Romanos Teutonicis invisos et infestos fecerat. cf. Ekkeh. 9.

7) Torquato Tasso (XI. 23) Godefridum in concilio Claromonte habito fingit interfuisse:

Qui tace; ed ei risponde; or ti sia noto,
Che quando in Chiaromonte il grande Urbano
Questa spada mi cinse, e me devoto
Fe' Cavalier l'onnipotente mano,
Tacitamente a Dio promisi in voto etc.

desiderio. Eques desiderat armis contendere, christianus pugnare in fidei christianae adversarios.

Iam a juventute ipsi in optatis est, ut cum exercitu magno Hierosolyma ad sepulcrum sanctum liberandum proficiscatur [1]). Optata impetrat. In terram sanctam contra Turcas proficiscendi consilium capit extemplo. Exercitum contrahit permagnum [2]).

Ut pecunias ad iter necessarias habeat, Godefridus argenti mille trecentis aurique tribus marcis Bullionem castrum [3]), unde Bullionensis habet cognomen, Oberto episcopo Leodiensi sub ea conditione abalienat, ut sit commissum ecclesiae St. Lamberti, nisi id ipse vel unus ex tribus successoribus redimat.

Praedia munita, Mosacum et Sathanacum [4]), pecuniis magnis a Richero episcopo acceptis, ecclesiae Mariae virginis Virdunensi in perpetuum tradit atque castrum Falconis-montis vastat [5]), in episcopi Virdunensis territorio constructum.

Quibus pecuniis ad iter Hierosolymitanum necessariis instructus, anno millesimo nonagesimo sexto, die decimo quinto mensis Augusti, Godefridus exit [6]). Balduinus et Eustachius fratres eum comitantur.

Proficiscitur Godefridus e Lotharingia Moguntiacum, inde

---

1) Guib. II. 12.

2) Alex. lib. X. p. 232: *μετὰ στρατεύματος ἱππέων μὲν Χιλιάδων δέκα, πεζῶν δὲ Χιλιάδων ἑβδομήκοντα.* Ab occidentis scriptoribus numerus non refertur. Certe numerus fuit permagnus. Chron. Sax. (Bouq. XIII. p. 716): Godefridus militibus copiosis . . . et alii principes iter aggressi sunt.

3) Aegidius (Bouq. XIII. p. 607): undecumque corrasis. Laurent. de Leodio (Bouq. XIII. p. 631).
Chron. Alber. ad ann. 1096. cf. hist. Andag. mon. (p. 590).

4) Laur. de Leodio (Bouq. XIII. p. 631): cum omnibus appenditiis sanctae Mariae in perpetuum tradidit.
Chon. Alber. ad. ann. 1096.

5) Laur. l. c.: ne in posterum noceret.
Chron. Alber. ad ann. 1096: amore episcopi castrum diruit.
cf. Will. Tyr. IX. 8.

6) Will. Tyr. II. 1.
Alb. Aq. II. 1: medio mensis Augusti.

Ratisbonam, inde secundum Danubii cursum per Hungariam et Bulgariam usque ad Constantinopolim [1]).

Principes enim Hierosolyma proficiscentes [2]), ex quorum copiis summus exercitus erat compositus, inter armaturam conficiendam inter se convenerant, primum quod cum agminibus suis ingrederentur vias diversas, deinde quod meta itineris proxima teneretur Constantinopolis, tum quod exercitus universus inter se conjunctus faceret iter commune a Constantinopoli usque ad Hierosolyma.

Ex quo conventu Robertus Normannorum dux, Hugo Magnus, Robertus Flandrensis comes, Stephanus comes Blesensis et alii, e Francia septentrionali egressi, viam ingressi sunt in Italiam inferiorem. Inde mari adriatico transmisso appetiverunt Constantinopolim [3]).

Viam eandem inierunt Boamundus, Tarenti princeps, et Tancredus consobrinus [4])

Raimundus Tolosanus comes et Ademarus episcopus Podiensis, Alpibus transmissis, per Italiam superiorem et Dalmatiam suos ducentes appetiverunt Constantinopolim [5]).

Godefridus dux, ut supra diximus, per Hungariam et Bulgariam profectus pervenit ad Constantinopolis portas [6]).

Summo exercitui, a supra dictis principibus ducto, antecesserunt, exceptis compluribus catervis parvis [7]), quatuor agmina

1) Will. Malmesb. (Bouq. XIII. p. 7): Godefridus per Pannoniam iter instituit . . . Sequebantur eum Frisones, Lotharingi, Saxones et quidquid gentium inter Rhenum et Garumnam fluvios jacet.

Molanus p. 85: Collegit autem optimus princeps in Antwerpiensi suo Marchionatu primitias hujus sacrae militiae.

2) Will. Tyr. I. 17. Gest. I. 1—3.

3) Will. Malmesb. (Bouq. XIII. p. 7—8).

4) Ibid: praevenerat eos compendio Boamundus.

5) Will. Malmesb. l. c.
Raim. p. 139—140.

6) Will. Tyr. I. 17. Fulch II—III.

7) Fulch II: Anno millesimo nonagesimo sexto mense Marcio alii paratu perniciores aliis iter sanctum carpere ceperunt. Alii quidem mense Aprili, vel Majo, vel Iunio, sive Iulio nec non Augusto seu

viam Hierosolymitanam ineuntia, primum a Galtero de Pexejo et, post ejus obitum, a Galtero sine pecunia dicto, secundum a Petro eremita, tertium a Godescalco quodam presbytero, quartum a Guilielmo carpentario, ab Emicone aliisque equitibus ductum.

Quorum agminum quatuor quodque ab habitatoribus regnorum, per quae transierunt, multas quidem atque magnas aerumnas contumeliasque pertulit, tamen plures et majores injurias, crudelitates, imo inhumanitates commisit.

Arte oratoria adhibita Petrus eremita brevi tempore colligit in Lotharingia agmen. Catervatim circa eum se congregant. Armatura omnino neglecta animum inducunt, viro sancto duce se Hierosolyma facile esse expugnaturos. Nihilominus Petrum, qui nimis longe moratur, ut ad iter incipiendum quam plurimos excitet, Coloniae jam relinquentes iter Hierosolymitanum pergunt Galtero de Pexejo duce [1]). Hungaria sine ullo impedimento transcursa, Bulgaris adversus resistentibus bellum inferunt, Bellegravam expugnantes, crudelitates exercentes, praedam capientes, campos vastantes, greges deripientes. Sed Bulgarorum gladiis magna multitudo interimitur. Quicunque autem ex Bulgarorum gladiis evadunt, Constantinopoli et, brevi postea Asia contacta, interimuntur a Saracenis. Vix unus eorum conspexit Hierosolyma.

Galteri agmen Petrus [2]) mox sequitur cum quadraginta hominum millibus, e gentibus Italiae superioris, Franciae, Germaniae collectis. Nondum Hungaria omnino transcursa, hostilium faciunt initium. Malevillam ad Savum sitam expugnantes sicut ferae bestiae, quicunque hostium sibi eunt obviam, obtruncant. Ceciderunt urbis habitatorum quatuor millia.

Neque impune suscepta sunt flagitia a Bulgaris. Qui exercitu enormi constituto in pugna apud Nissam pugnata Petri hominum decem millia interficiunt, impedimentorum, armentorum

---

Septembri atque Octobri, prout sumptuum opportunitas occurrit, subsequuti sunt.

1) Will. Tyr. I. 18.

2) Will. Tyr. I. 19—21.

gregum, pecuniarum copias omnes rapiunt, viros, senes liberosque captos in servitutem abducunt. Et quicunque [1]) ex Bulgarorum gladiis evadunt, Constantinopoli cum Galteri agmine congregati et in Asiam transgressi interimuntur a Saracenis. Vix unus eorum conspexit Hierosolyma.

Tertium agmen, quindecim hominum millia, a Godescalco quodam presbytero ductum, in viam se dat Hierosolymitanam. Effrenatius autem atque crudelius, quam turmae antecedentes, se gesserunt [2]). Postquam pervenerunt in Hungariam, furta faciunt atque latrocinia omnemque excedunt justitiae modum ita, ut Hungari, dolo malo adhibito, iis potiti omnes interimant, nemini parcentes. Vix unus eorum conspexit Hierosolyma [3]).

Quartum agmen [4]), ducenta millia peditum et tria millia equitum, e Francia egressum, faex plebis equitumque, ab Emicone, Guilielmo carpentario et aliis ductum, in via Hierosolymitana multo maxima flagitia et scelera commisit. Iudaeorum habitantium Trevirorum Augustae, Coloniae, Moguntiaci magna parte interfecta eorumque bonis dereptis [5]) usque ad Hungariae fines

---

1) Will. Tyr. I. 22—26.

2) Alb. Aq. I. 24: flagitia quae omnia referre nequimus perpetrarunt, sicut gens rusticano more infulsa, indisciplinata et indomita.

Will. Tyr. I. 27: Commiserant enim gravia turpiaque nimis et relatione indigna.

3) Alb. Aq. I. 25: Ungari crudeli strage irruentes in eos (Godescalcum suosque) caedem immanissimam in eos exercebant, adeo ut extinctis et occisis corporibus et sanguine tota planicies Belegrave occuparetur et pauci ab hoc martyrio liberarentur. Will. Tyr. I. 28.

4) Alb. Aq. I. 26—31. Will. Tyr. I. 29.

5) Sigeb. Gembl. (Bouq. XIII. p. 261): Et primo Judaeos in urbibus, in quibus erant, aggressi, eos ad credendum in Christum compellunt, credere nolentes bonis privant, trucidant, urbibus eliminant. Aliqui Judaeorum, zelo tenendae patriae legis ducti, se mutuo trucidant; alii ad tempus se credere simulantes, post ad Judaïsmum revolvuntur.

Chron. Alber. ad. ann. 1096: Fuere tamen quidam ex iis, qui falsa specie religionis eamdem militiam aggrederentur, inter quos Emicho quidam comes de partibus Rheni, usurpans sibi ducatum fere duodecim millium, Judaeos, ubicumque reperit, vel delere vel ecclesiae incorporare satagebat.

progrediuntur. Introitus quum in regnum ab Hungaris denegetur, belli fortunam tentant. Fortuna autem iis est adversa. Poenas solvunt meritas. In pugna apud urbem Mesaburgum pugnata [1]) cadit pars major, altera pars in servitutem abducitur, pauci fuga petunt salutem. Vix unus eorum conspexit Hierosolyma.

Quae agmina exercitus summus a viris supra dictis illustribus congregatus, armatus et ductus in itinere sequitur Hierosolymitano.

Austria transcursa et Hungariae finibus tactis, quum Godefridus cognoverit, quam contumeliosum habuerint interitum agmina antecedentia, imprimis agmen postremum, cujus reliquiae celerrime accelerant, non statim in Hungariam transit, sed apud urbem Tollenburg, in Austriae termino sitam, castra locat [2]). Hungariae regi ac populis diffidens mittit legatos, qui propter contumelias christianis illatas satisfactionem poscant et expeditum petant per Hungariam transitum. Legatis praefuit Godefridus de Ascha, jam regi notus ex Godefridi Bullionensis legatione ante obita. Legatis amicissime receptis Calemanus rex dicit, copiarum innumerabilium flagitiis et sceleribus se coactum esse, ut exercitu celerrime constituto regni ejusque habitatorum pericula tutaretur, et sibi esse magno dolori, quod ex hac necessitate multa hostium millia turpem tulerint interitum. Legatis benigne dimissis Godefridum invitat ad castrum suum, Ciperon nomine.

Adest invitatione accepta Godefridus ad horam. Inter se conveniunt Calemanus atque Godefridus de rebus memoratis. Calemanus concedit Godefrido transitum exercitus per Hungariam expeditum et promittit copiis parvo pretio victum Hungaros esse praebituros. Godefridus pro sua parte Calemano

---

1) Alb. Aq. I. 30: Pedestris vulgi utriusque sexus tanta facta est occisio, ut aquae Danubii et Lintax in sanguineas mutarentur undas.

Ibid: tanta fugitivorum submersio facta est, ut tam spaciosi fluminis aquae prae tot millium corporibus per aliquantum tempus videri non possent.

Will. Tyr. I. 30.

2) Will. Tyr. II. 1—3. Alb. Aq. II. 1—7.

spondet, exercitum se gesturum esse honeste. Pactum jurant Calemanus et regni nobilitas. Obsides dat Godefridus Balduinum fratrem ejusque comitatum; copiis autem quamque injuriam Hungaris illatam poena vitae multatum iri nuntiat.

Quibus rebus factis Godefridi exercitus, culpa non contracta, per Hungariam transit. Recipit obsides Godefridus, regni termino contacto, accipitque ditissima dona. Apud urbem Malevillam plures dies moratus et Savum flumen transgressus castra locat apud Bellegr..vam; appetens autem Constantinopolim brevissimo tempore tangere pergit iter post paucos dies per Bulgariae montes silvasque.

Alexius imperator jam ex longo tempore auxilium sibi ab episcopo romano et ab occidentis principibus ferendum exspectaverat. Imperii graeci conditio hoc tempore ob multas causas erat valde afflicta [1]). Imperator ipse Alexius Nicephorum Botoniatem antecessorem imperio privaverat, ut imperium adipisceretur. Imperii administrandi modus erat pessimus. Praeterea in imperii permagnam partem invaserant Saraceni, ab oriente egressi. In eorum manibus erant, paucis exceptis. paene omnes provinciae Asiae minoris cum imperio antea conjunctae. Non dubium erat, quin occassione data Constantinopolim expugnarent et Alexium ex urbe ejicerent.

Idem facere tentabant Normanni, ab occidente egressi. Repetitos fecerant impetus in imperium ad solum finem, ut sibi regna constituerent in terra peregrina et, si fieri posset, Alexium imperio privarent.

Sic ab utraque parte periculum maximum intendebatur et Alexio et Constantinopolis habitatoribus. Quotiescunque igitur hostes ad Constantinopolim appropinquantes bellum renovabant, pavore perterrebantur non solum Constantinopolis habitatores, ne hostes urbem expugnarent imponerentque sibi furore effrenato quamvis injuriam et contumeliam, sed etiam Alexius, ne amitteret imperium.

Quae res Alexium desiderio magno afficiebant, ut episcopus

---

1) Will. Tyr. II. 4.

romanus vel occidentis principes, quos per epistolas jam adierat, sibi ferrent auxilium. Quum autem exercitus magnos, qui non tam sint proclives ad imperii hostes prosternendos, quam ad imperium ipsum vastandum delendumque, circa Constantinopolim se congregaturos esse comperiat, hic nuntius ei non gaudio, sed formidini est et curae, praesertim quum et nuntium perferant, Boamundum, Tarenti principem avarum, ambitiosum et ultionis cupidum, ex Apulia cum exercitu accedere ad Constantinopolim. Rationes diversas init Alexius, ut ex incommodis sibi allatis liberetur. Prout salutare sibi videtur, modo blanditias, modo vim adhibet, ne copiae, imperii finibus appropinquantes, nec sibi neque imperio quid detrimenti importent. Imprimis necesse habet earum ducibus potiri eosque fidei jurejurando obstringere, ut sibi tradant omnes provincias, quas in bello contra Saracenos gerendo sint expugnaturi.

Primum Hugone Magno, Dyrrachium appulso, Alexius potitur [1]). Captum et Constantinopolim ductum, quantumvis reluctantem, ad fidei jusjurandum adigit.

Godefridum quoque ditioni suae subjicere studet Alexius [2]), et verbis blandis et vi utens, sed per longum tempus frustra. Nondum urbe Nissa tacta Godefridus per legatos rogatur, ut prospiciat, ne quid injuriae atque contumeliae a copiis suis imperii gentes graeci accipiant. Alexius gentes parvo pretio omnia ad vitam necessaria copiis vendituras esse pollicetur. Summo gaudio Godefridus dat Alexio fidem, sibi curae maximae esse futurum, ne copiae honestatis ordinisque terminos excedant. Legatis reversis Godefridus cum exercitu ad urbes Nissam, Sternitz, Phinopolim pervenit. Ubique copiae omnibus rebus, quarum ad vitam indigent, per imperatoris beneficium uberrime abundant. Phinopoli autem ex inopinato nuntius affertur Godefrido, Hugonem Magnum Constantinopoli captivum teneri ab Alexio. Sine mora Godefridus legatos mittit ad Alexium, qui

1) Will. Tyr. II. 4. Alb. Aq. II. 7. Fulch. II.: Imprudenter cum agmine raro vadens (Hugo), ibi (apud Duratam urbem) ab ipsis civibus captus est etc.

2) Alb. Aq. II. 7—8. Will. Tyr. II. 5.

postulent, ut Hugonem in libertatem, per dolum ereptam, restituat extemplo. Postquam interea Godefridus, per Adrianopolim profectus, Salabriam pervenit, legati infecta re redeunt. Qua de re Godefridus ita exardescit ira, ut copiae regionem universam vastare et quam maximas praedas facere jubeantur.

Metu compulsus [1]), ne subditi damnum nimis magnum contraherent, rogat Alexius Godefridum, ut ab hostilibus desinat. Godefridus imperatoris voluntati obsequens ad Constantinopolim proficiscitur. Ante urbem dum castra ponit, maxime miratur, paulo post sibi se offerre cum suis Hugonem, qui ex imperatoris mandato amicissime Godefridum invitet, ut amicus accedat ad palatium. Quamvis animo libenti Godefridus, invitatione suscepta, cum Alexio junxisset amicitiam, nihilo tamen secius ex occulto praemonitus, ne vitam temere periclitaretur, desistit a proposito. Invitationem renuit.

Propter instans nativitatis Christi festum Alexius emendi vendendique licentiam verbis renovat expressis. Festo nativitatis Christi celebrato iterum legatos mittit Alexius ad Godefridum, qui mandata persequantur, ut Godefridus propter tempus pluviale exercitum traducat in palatia longe extensa [2]), inter maris brachium et Bathyssum flumen sita, ipse autem accedat ad imperatorem. Illud suscipit, hoc renuit Godefridus. Exercitum sine mora in palatia commemorata traducit. Ipse accedere ad imperatorem sibi non videtur, Imperatori diffidit, sed verbis mitibus diffidentiam vestit. [3]). Iterato hinc illincque

1) Alb. Aq. II. 9—10. Will. Tyr. II. 6.

2) Albertus Aquensis (II. 11) in augendo numero immodicus: quae (palatia) spatium, inquit, triginta milliarium in litore maris comprehendunt.

Recte dicit Willermus Tyrensis (VI. 7) sinus longitudinem esse ad millia quinque vel sex.

3) Alb. Aq. II. 11: libenter et optato ad te ingrederer, honores et divitias domus tuae considerarem, sed terruerunt me plurima mala, quae auribus meis de te innotuerunt: nescio tamen, si vel invidia aut odio tui haec adinventa et vulgata sint.

legatis frustra missis inflammantur denuo inimicitiae, paucis diebus ante resurrectionis Christi festum [1]).

Primo diluculo Turcopuli quingenti [2]), imperatoris sagittarii. Godefridi milites, victus emendi causa sinum transmissuros, aggrediuntur, partem vulnerantes, alios interficientes. Utrinque copias in pugnam convocant. Proelium committitur acerrimum. Godefridi jussu Balduinus frater properato omnes vires intendit, ut ponte inter urbem et Godefridi castra facto potiatur, quod alioquin hostes Godefridi milites, undique cinctos et commeatu interclusos, in Alexii ditionem se dedere coëgerint. Idcirco ab hostibus, pontem concedere nolentibus, vehementissime premuntur. Extendunt utraque pars viribus intentis proelium a prima luce ad primam noctem. Utrobique autem multis occisis [3]) pontem obtinet, victoriam adipiscitur Balduinus.

Nunc ipsum adest tempus pacis coagmentandae. Iam enim Godefridi copiae rursus per sex dies regionem in circuitu vastaverunt [4]), quum Alexius veritus, ne malis ac miseriis subditi sui nimis valde premerentur, a Godefrido petit, ut a regione vastanda desistat, et ad pacem componendam obsides sese esse daturum pollicetur.

Interea quidem legati a Boamundo missi [5]), Alexio non ignaro, ad Godefridum pervenerunt, qui simul cum nuntio, Boamundum ipsum, exercitus magni ducem, Constantinopoli tacta ad prima signa veris, cum Godefrido societatem coiturum esse ad Alexium perdendum ejusque imperium delendum, peterent, ut Godefridus in Adrianopolis et Philippopolis regiones rediret illicque transigeret hiemem. Godefridus autem Boamundi conditionem aspernatus dicit, se non venisse, ut cum christianis bellum gereret, sed ut sepulcrum sanctum eriperet e manibus

---

1) H. v. Syb. p. 320—322.

2) Alb. Aq. II. 12—13. Will. Tyr. II. 7—8. Ekkeh. 13.

3) Alb. Aq. II. 13: plurimi hinc et hinc ceciderunt et plurimi equi Francorum sagittis interierunt.

4) Will. Tyr. II. 9.

5) Will. Tyr. II. 10. Alb. Ag. II. 14.

infidelium, et id, si fieri posset, ferente auxilium Alexio. Idcirco ad Alexii conditionem venit Godefridus. Alexius Joannem Porphyrogenitum filium mittit obsidem [1]).

Imperatoris filium tutelae suorum commendans Godefridus cum exercitus principibus, Balduino excepto, ad Alexii accedit palatium.

Imperator [2]) e more graecorum in solio sedens, non assurgens neque uni principum nec duci, Godefridum, et qui cum eo sunt, ad oscula porrigenda admittit eosque honestat honore maximo atque laude plurima. Imprimis verbis dicit splendidissimis, se jampridem et Godefridi virtutem magni aestimandam et animi altitudinem et dei timorem sincerum cognovisse, quare sibi visum esse, eum adoptare filium.

Non invito Godefrido sic pax firma conciliatur, jungitur amicitia intima inter utrumque. Non solum filii, sed etiam vasalli dat Godefridus jusjurandum, comitatus viris nobilissimis idem facientibus. Muneribus ditissimis donati in castra revertuntur. Godefridi copiis quoque liberalitate eximia ex illo die dona larga largitur Alexius, donec iter pergunt, simul subditos suos sub poena capitis monens, ne Godefridi homines ad mercaturas circumveniant, aeque ac Godefridus, Joanne Porphyrogenito patri reddito, vetat, ne quisquam unus imperatoris subditis inferat injurias sive contumelias.

Hoc tempore imperator Godefridum frequentem secum videt. Quum autem nuntium accipiat, Boamundum cum exercitu magno Constantinopoli celeriter appropinquare, veritus, ne tam ingentes exercitus, ad urbis portas congregati, sibi valde incommodarent, a Godefrido postulat, ut moveat castra. Qui imperatoris voluntati obsecutus copias traducit in Asiam [3]). Etiam illuc mittit copiis Alexius munera, quum Godefrido valenti amicitiam renunciare nolit.

Ut Godefridum, sic ceteros principes, cum exercitibus suis

1) Will. Tyr. II. 11. Alb. Aq. II. 15.

2) Alb. Aq. II. 16. Will. Tyr. l. c.

3) Will. Tyr. II. 12.

Constantinopolim paulo post pervenientes, adigit Alexius ad jusjurandum, simul vi, simul consiliis dolosis, simul verbis blandis adhibitis.

Boamundo, ingentis exercitus duci [1]), cujus interitum jam in itinere petit Alexius parandum, flumen Bardarum transeunti insidias collocat [2]). Quum autem ex insidiis Boamundus evaserit, per legatos obviam missos amicitiam intimam simulat Alexius.

Amicitiae simulatae Boamundus diffidit, quam ob causam, Constantinopoli tacta, constanter recusat, ne Alexio det vasalli jusjurandum. Alexius quum autem promissum faciat, Boamundo in Asia regnum magnum constitutum iri, jusjurandum Boamundus jurat petitum [3]).

Tancredus, quo duce Boamundi exercitus Boamundum sequitur, cum exercitu Constantinopolim praeterit atque sine ulla dilatione brachium maris transgreditur in Asiam, jusjurandum vitaturus [4]). Tamen ipsum quoque Godefridus ceterique principes, imprimis Boamundus, adhortantur, ut Alexio, Nicaea jam expugnata, jusjurandum juret petitum.

Raimundus Tolosanus comes, principum Hierosolyma proficiscentium ditissimus ac potentissimus, cum quo sociatus est Ademarus Podiensis episcopus, papae vice functurus, Godefridi ceterorumque principum incitationibus ad ultimum repugnat ita, ut Boamundus, ira victus, se cum imperatore staturum esse dicat, si quid injuriae in eum immittat. Quo factum est, ut

1) Alb. Aq. II. 18: decem millia habens equitum et plurimas copias peditum. Will. Tyr. II. 13.

2) Gest. VI.: quem (Boamundum) valde timebat, quia olim eum saepe cum suo exercitu ejecerat de campo. cf. Gest IV.

3) Gest. VI: Alexius dixit: quoniam si libenter ei juraret, quindecim dies eundi terrae in extensione ab Antiochia retro daret et octo in latitudine.

Albertus Aq. (II. 18) dicit, Boamundum constanter repugnantem a Godefrido, ex urbe illi obviam profecto, permotum esse, ut jusjurandum juraret petitum.

4) Gest. VII.: Tancredus vero et Richardus de Principatu propter jusjurandum imperatoris latenter transfetaverunt brachium.

Alb. Aq. II. 19.

Raimundus Alexio juraret, nunquam quidquam se moliturum esse, quod illius honorem et vitam in periculum adduceret. Vasalli jusjurandum non juravit [1]).

Robertus Flandrensis comes, hieme in urbe Durachio transacta, iter vere primo ad Constantinopolim dirigit, quam urbem attingit, Boamundo aliquanto ante illuc ingresso. Audito ceteros principes prae se praegressos imperatori fidei jusjurandum dedisse, nullo modo renisus jusjurandum jurat petitum [2]).

Quod exemplum sequuntur Robertus Normannus comes, Stephanus Blesensis comes et Eustachius, Godefridi frater, exercitus ingentis duces. Amicitia permulta sibi praestita, ad fidem promptam imperatori praebendam propensi jusjurandum jurant petitum [3]).

Facile intelligitur, regnum orbis terrarum maximum, exercitum fortissimum, urbem munitissimam his copiis christianorum innumerabilibus resistere non potuisse et hunc exercitum laboribus exiguis successus assecutum esse prosperrimos, si summum imperium uni duci fuisset mandatum. Quum autem quisque princeps suo arbitrio milites suos duceret et raro consilia communia caperentur, summi labores saepe fuerunt consumendi in successibus ipsis minimis assequendis.

Urbis Nicaeae obsessio, transitus copiarum per Asiam minorem factus, urbium Antiochiae et Hierosolymorum obsessiones satis praebent argumentorum.

---

1) Gest. VI.: Igitur comes Alexio vitam et honorem juravit, quod nec ipse nec per alium auferre consentiat. Cumque de hominio appellaretur, non se respondit pro capitis periculo id facturum.

Raimundus de Agiles (p. 141) idem refert iisdem verbis.

Fulch. IV.: Comes autem Raymondus jusjurandum facere recusavit.

Albertus Aq. (II. 20) contrarium affirmans: sub fide, inquit, et sacramento homo illius (Alexii) factus est.

Willermus Tyr. (II. 21) eodem modo: secundum juramentorum tenorem, inquit, quem alii praebuerant, et ipse fidelitatis juramentum exhibens donis ingentibus honoratus est.

2) Alb. Aq. II. 19. Will. Tyr. II. 16.

3) Alb. Aq. II. 21.

## Christianorum exercitus Nicaeam obsidet.

Copiarum transitus in Asiam factus statum rerum omnino mutat. Et Alexius et imperii graeci cives ex multis malis paulatim se emergunt. Quamquam occidentis principum auxilium valde desiderarunt, miseria interdum fuit magna, quum homines innumerabiles terram influerent. Apparet et exstat, gaudio iis fuisse magno, quod ille exercitus, terra relicta, hostem communem aggressurus transiret in Asiam.

Occidentis principes quoque et copiae multas molestias atque multa pericula susceperunt. Dolum ipsum imperatoris subierunt dissimulatum atque simulatam amicitiam; attamen metam itineris tetigerunt proximam. Apparet et exstat, omnis miseriae captae oblitos, in hostes invasum eos esse festinaturos.

Asiae provinciarum cum imperio graeco conjunctarum parte multo majore, Diogene imperatore regnante, annis viginti quatuor ante Saraceni potiti erant. Cujus partis caput erat Nicaea, illa urbs, ubi septem ante seculis concilium habitum erat ecclesiasticum. Restiterat imperatori, quum opes non suffecissent ad Saracenos ejiciendos, pars minor. Cujus partis caput erat urbs Nicomedia, a litore paululum remota.

Chalcedonem appulsi festinanter Nicomediam proficiscuntur Godefridus et Robertus Flandrensis cum copiis suis et Tancredus cum Boamundi exercitu. Boamundum ipsum, qui de commeatu exercitibus ultra Nicaeam subvehendo cum Alexio acturus Constantinopoli remansit, in vestigiis suis occursurum esse sperant [1]). In urbe Nicomedia principes consilium Nicaeae urbis expugnandae sequuntur. Nicaea quum autem, sita in loco vallis edito, tecta et montibus insuperabilibus paene ex omni parte et lacu Ascanio ex parte occidentali, atque circumdata et muro et vallo et fossa, natura atque opere urbs esset illo tempore munitissima [2]), maxima obstacula fuerunt amo-

1) Gest. VII. Raim. p. 141.

2) Raim. p. 141: urbs munitissima tam natura quam ingenio. Alb. Aq. II, 21: quae urbs moenibus, muris, munitionibus turrium insuperabilibus videbatur. W. T. III, 1. Steph. epist.: Nicaeam plus quam trecentae altae turres cum muris mirificis claudunt.

venda, copiis innumerabilibus[1]) Nicaeam versus profecturis. Quare Godefrido ceterisque principibus obvenit necessitas, quod tria hominum millia ad viam per angustias et super montes aperiendam praemittant[2]).

Tres dies Nicomediae morati Rufinel proficiscuntur. Illuc eos consequuntur Raimundi, Constantinopoli cum exercitu morantis, legati ab iis petituri, ut Nicaeae obsessionem usque ad ejus adventum differant. Legati autem reversi, responso renuntiato, obsessionem propter omnium cupiditatem in hostes invadendi diutius differri non posse, Raimundum incitant, ut quam celerrime a Constantinopoli ad Nicaeam moveat[3]).

Tandem montibus superatis Nicaeam prope intuentur. Fuit dies sextus mensis Maji[4]).

Quam irresistibile copiarum fuit desiderium pugnandi cum Turcis, fidei christianae adversariis. Quantus Turcarum fuit horror, quum haberent in conspicuo illam hostium multitudinem vere immensam. Nihilominus illis persuasum est, urbis munitissimae expugnationem magni esse futuram laboris; atque pariter constat, Turcas belli expertos, virtutis milites laudabilis, ad urbem defendendam ultima esse ausuros, praesertim quum Kilidsch Arslan, principem suum, exercitus magni ducem, exspectent.

Nonnulla proelia singula diebus primis committuntur. Proelia autem Turcis male procedunt et Turcarum princeps producit adventum. Quae cum ita sint, e Pelecano[5]), exercitus sui castris, Alexius, principibus christianorum inscientibus, Butumitem ducem suum ex occulto Nicaeam mittit, qui agat cum

---

1) Fulch. IV: nostrorum centum milia loricis et galeis muniti erant. Quem exercitum, qui de numero sapiebant, sexies centum milia ad bella valentium esse aestimabant, exceptis inhermibus etc.

2) Gest. VII.

3) Alb. Aq. II, 10.

In urbe Rufinel Petrus eremita iis conjunxit se exercitusque sui reliquias parvas, profecturus cum iis Hierosolyma.

4) Gest. VII: Pervenimus ad Nicaeam in quarto die pridie nonas Maji.

5) Alex. lib. XI. p. 245—251.

Turcis, ut urbem imperatori restituant. Occasionem de pace agendi laetissime arripiunt Turcae, quod imperatori urbem restituere malunt, quam occidentis principibus. Quum autem paucis post diebus nuntium accipiant, principem tempore brevissimo subventurum esse urbi, actiones abrumpunt. Fuit dies decimus quintus mensis Maji, dies ascensionis illius anni.

Sub eodem tempore [1]) Boamundus Nicaeam pervenit, copiis esurientibus alimentorum copiam magnam simul adducens [2]). Ex quo principes cum copiis summo studio urbem obsident, Boamundo et Tancredo in parte septentrionali proxime a lacu, Godefrido et Roberto Flandrensi in parte orientali se collocantibus [3]). Viribus universis ad muros suffodiendos usi intra dies proximos in urbem irrumpendi spe nituntur [4]). Multo magis animus iis accedit, quum audiant, Raimundum comitem, Bosporo transito, celerrime adventare. Raimundo sibi conjuncto urbis expugnatio haudquaquam amplius dubia iis esse videtur.

Contraria ducuntur opinione Turcae.

Quum videant, urbis partem meridianam nondum esse obsessam, quum nesciant, Raimundum ad urbem celerrime appropinquare, quum cognoverint, principem suum mox futurum esse in propinquo, quum iis persuasum sit, se commeatu trans lacum supportando intercludi non posse atque urbem praesidio satis esse in tuto collocatam, de hostibus uno ictu interimendis meditantur. Quapropter principi nuntiant, urbis totam partem meridianam adhuc esse apertam [5]), eumque rogant, ut animo forti ad urbem obsidione solvendam adventet.

---

1) Gest. VIII: In die ascensionis Domini coepimus urbem undequaque invadere etc.

2) Gest. VII.: priusquam Boamundus venisset ad nos, tanta inopia panis fuit inter nos, ut unus panis venderetur viginti aut triginta denariis.

3) Gest. l. c. Raim. l. c.

4) Gest. l. c. Raim. l. c.

5) Gest. VIII.

Quo nuntio accepto princeps duos nuntios mittit ad urbis praesidium dicturos, principem suum cum exercitu magno [1]) in montium vicinorum silvis abdite latere, ut postridie per portas meridianas in urbem ingressus et per portas septentrionales ex urbe egressus cum summo exercitu in hostes sit invasurus, dum cetera agmina in hostes in urbis parte orientali collocatos incidant. Nuntiorum autem alter interficitur, alter capitur, principe insciente [2]).

Jam princeps consilia necessaria cepit, jam e montium silvis erupit, jam in urbis proximum pervenit, jam in eo est, ut inimicitias ineat, ecce conspectus improvisus. Urbis tota pars meridiana hostilibus tecta est copiis. Raimundus Tolosanus comes modo adventavit, in hostes eodem momento temporis irrupturus [3]). Fuit dies duodevicesimus mensis Maji.

Sic res praeter omnem opinionem cadunt. Raimundus victoriam reportat ex hostibus, quorum alii interficiuntur, alii capiuntur, alii se mandant fugae [4]).

Cetera Turcarum agmina non melius procedunt. Inscii, quid principi acciderit, exsultatione immodica e montibus in vallem decurrunt, funes secum portantes, quibus captivos in servitutem abducant, irruuntque in hostes. Impetu autem vehemente fortissime propulsato, Turcarum superatorum alios interficiunt, alios captivos secumabducunt, alios in fugam convertunt Godefridus ceterique principes.

1) Alb. Aq. II. 25: quingenta millia virorum pugnatorum et ferratorum equitum.

Will. Tyr. III. 1: Infinitas tum ex Perside, tum ex adjacentibus provinciis secum adduxerat Turcorum copias.

Will. Tyr. III. 3: Solimannus cum ingentibus equitum copiis, qui ad quinquaginta millia aestimabantur, de montibus descendens, ad plana se contulerat.

2) Alb. Aq. l. c. Will. Tyr. III. 2—3.

3) Gest. VIII.: quae porta in die Sabbathi post ascensionem Domini a comite St. Aegidii et episcopo Podiensi hospitata est. Will. Tyr. III. 4.

4) Gest. l. c.: Turci dederunt fugam et fuit mortua maxima pars illorum. Will. Tyr. l. c.

Turcae sunt victi, non expugnata urbe nec praesidio superato. Per totius mensis spatium labores maximos ad urbem expugnandam impendi est necesse.

Pugnae continuo perdurant. Et Turcae et christiani ad se invicem prosternendos vires intendunt. Imprimis excellit Godefridus in virtute. Turcam quendam jam diu in christianos ferocissime saevientem sagitta prosternit [1]).

Interim principes undique muros suffodere denuo incipiunt. Raimundus turrim angularem suffodit incenditque trabes suppositas. Excitatur incendium vesperi. Noctu ruit turris fragore claro edito. Lacuna magna oritur in muro. Nemo interea tenebrarum causa in urbem audet irrumpere. Irruptionem in diem crastinum differunt. Quanta est autem admiratio, quum postridie primo diluculo videant, murum, lacuna remota, esse restitutum [2]).

His quoque laboribus frustra impensis principes intelligunt, urbem expugnari non posse, nisi lacum claudant et urbis praesidium intercludant commeatu. Itaque ab Alexio imperatore petunt, ut naves praebeat, quae in lacum deductae ex hac parte augeant urbis pericula faciantque propensius ad deditionem praesidium [3]).

Postquam interim Robertus quoque Normannus et Stephanus Blesensis cum exercitu summo se conjunxerunt [4]) et postquam Alexius actutum navium numerum magnum ad hoc constructarum praebuit, in spem veniunt, fore, ut urbem undique obsessam mox expugnent. Naves Ciboti trahis impositas septem millia passuum in lacus ripas transportant. Vesperi in lacum deductae atque noctu lacum transvectae postridie prima luce ante urbis muros apparent. Magna est admiratio Turcarum, qui dubitant, utrum

---

1) Narratio, quam narrant Albertus Aq. (II. 33) et Willermus Tyr. (III. 9), a multis dubitata, fide minime caret.

2) Gest. VIII: quia nox erat, non potuerunt praeliari cum illis. Raim. p. 141: civitas capta esset, nisi noctis tenebrae obstitissent. Alb. Aq. II. 31. Will. Tyr. III. 8.

3) Gest. VIII. Will. Tyr. III. 7.

4) Fulch. IV.: Nos quippe in ebdomada Junii prima postremi ad obsidionem venimus.

sint naves suae an hostiles, in terrorem maximum autem conjiciuntur, quum, dubio soluto, naves suas ab hostilibus premi vehementissime videant. — Nunc ipsum iterum de pace agendi adest tempus ab Alexio exspectatum. Cujus mandato Butumites, classis plerumque Turcopulis armatae[1]) praefectus, ab urbis praesidio ex occulto postulat, ut urbem sub lenissimis conditionibus dedat imperatori, addito urbem multo melius sese esse habituram imperatori deditam, quam occidentis principibus.

Quum praesidium, principe fugato, de spe decesserit, sese obsidione liberatum iri, quum sit magno timore, ne commeatu intercludatur, ad imperatoris conditiones veniens urbem dedit[2]). Quod ita fit, ut Graeci ex composito in duobus locis clam intrent urbem proponantque in muro, portis denuo clausis, vexillum imperatoris, dum Alexius, specie auxilii ferendi, principes ad vires fortiores contra urbem adhibendas incitat[3]).

Ira summa dissimulata, principes perturbati ab obsidione desistunt. Factum reddere nolunt infectum nec possunt. Urbis praesidium imperator Constantinopoli in tuto collocat; habitatores christiani in urbe remanent. Pro praeda principes eorumque copiae pecunias magnas accipiunt ab Alexio. Invitationem ipsam imperatoris sequentes Pelecanum se conferunt principes, ut consulant cum illo, quid porro sit agendum ad Turcas devincendos, jurantque iterum fidei jusjurandum[4]). Tancredus ipse jurat diu renisus[5]).

Dies deditionis fuit dies vicesimus mensis Junii[6]).

1) Gest. VIII.: suosque Turcopulos mandavit (Alexius) cum eis.

2) Gest. l. c. Raim. l. c. Alb. Aq. II. 37. Will. Tyr. III. 11.

3) H. v. Syb. p. 344—345.

4) Alex. lib. XI. p. 250: *καὶ δὴ συνεληλύθεσαν ἅπαντες καὶ ἐπλήρουν τὸν ὅρκον.*

5) Ibid. p. 251: *εἶτα αἰσχυνθεὶς δίδωσι καὶ αὐτὸς ὅρκια ὁ Ταγγρής.*

6) Will. Tyr. III. 12: Capta est autem urbs Nicaea anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo septimo, mense Junio, vicesimo die mensis. Gestorum auctor (VIII) et Fulcherius (IV) errant uterque de die expugnationis.

## Christianorum exercitus cum Turcis pugnat apud Dorylaeum.

Kilidsch Arslan fugatus quum prohibere non potuerit, quominus Nicaea, regni caput, sit expugnata, ulciscendi consilio statim capto, exercitum magnum ex regno longe lateque diffuso iterum colligit. Brevi tèmpore centum quinquaginta millia militum [1]) habet paratos ad bellum renovandum, ad maculam eluendam, ad hostes, si potis sit, conficiendos. Adest mox tempus pugnandi.

Nicaea expugnata, christianorum exercitus septem dies in castris stativis moratus die vicesimo septimo mensis Junii castra movet [2]). Insidias ab hostibus nequaquam metuentes iter ingrediuntur ad Antiochiam Pisidiae. In itinere dividuntur, sive ex composito, sive inconsulte, in duas partes [3]), quarum alteram ducunt Boamundus, Tancredus, Robertus Normannus et Stephanus Blesensis, alteram Godefridus, Hugo Magnus, Robertus Flandrensis, Raimundus et Ademarus episcopus. Utraque pars separatim iter pergunt. Sed jam postridie, die tricesimo mensis Junii, prope a Dorylaeo multitudinem magnam conspicantur hostium, qui pugnam ineunt acerrimam cum Boamundo et qui cum eo sunt, postquam diei primi lux mensis Julii commodum sit exorta [4]).

Vix Boamundi jussu pedites in vallo, circa castra confestim ducto, ad impedimenta custodienda collocati et equites ejus

---

1) Raim. p. 142. Willermus Tyr. (III. 13), Gestorum auctor (IX) et Fulcherius multo majores referunt numeros.

2) Fulch. IV: tertioque kal. Julii a Nicaea discessimus.

3) Gest. IX: quia nox erat, non viderunt nostri tenere unam viam, sed sunt divisi per duo agmina. Raim. p. 142: secunda die temere Boamundus digressus est. Alb. Aq. II. 38: decreverunt tanti exercitus divisionem fieri, ut liberius et spatiosius in castris populus habitaret, sicque divisus plenius escis et pabulo equorum abundaret.

4) Fulch. V: mane facto, quod accidit kal. Julii, ordinate ire cepimus. Hora diei secunda ecce praecursores eorum speculatoribus nostris appropinquaverunt. Will. Tyr. III. 14. Alb. Aq. II. 39.

suorumque ad hostes subire jussi sunt, quum Turcae, exercitus, christianorum divisi non inscii, impetum faciunt vehementissimum caedemque terribilem. Boamundus suique, quamvis interdum recedentes, et constantia et virtute admiranda diu resistunt, longe autem excellunt et agilitate et celeritate hostes. Hinc illincque multi occiduntur [1]).

Nunc ipsum Boamundus ad Godefridum ceterosque principes, a pugnae loco haud procul absentes [2]) nuntios mittit, qui petant, ut auxilium ferant fratribus in periculo maximo versantibus. Qui confestim auxilio sunt succursuri [3]).

Interim autem Turcarum complures catervae, sive circa Boamundi aciem a latere circumeundo sive per aciem perrumpendo, castra quoque ceperunt [4]), ubi praedantur et latrocinantur et ferro transfigunt unumquemque sibi obviam euntem, viros ac mulieres, senes ac parvulos, armatos atque inermes. Christiani clamorem profundunt magnum, ex castris vastatis et ex tot hominibus occisis luctum hauriunt maximum. Clamant, orant peccata confitentur, parant mortem. Rebus adversis animi omnium sunt perturbati.

Ecce in miseriis auxilium [5]). Godefridus ceterique principes alterius exercitus, irruptione vehementissima in hostes facta, praedones ac latrones occidunt, propulsant, in fugam conjiciunt. Brevissimo tempore hostes sunt victi, christiani victores. Hostium princeps solus se recipit in collem vicinum, denuo restiturus. Sed Godefridus multo sudore ac labore ipsum fortissime ag-

---

1) Alb. Aq. II. 40: quum jam ad quatuor millia de exercitu christianorum in manu hostili cecidissent, nuncius ad castra Ducis venit.

2) Raim. p. 142: aberant enim per duo miliaria.

3) Raim. l. c.: ubi autem nuncius Boamundi in castra venit, omnes certatim equos et arma arripiunt. Alb. Aq. II. 41: tanquam si ad convivium vocarentnr omnium deliciarum, festinant arma capere — et ad sexaginta millia equitum e castris procedunt cum cetera manu pedestri.

4) Fulch. V: tanquam oves ovili clausae undique vallabamur. Alb. Aq. II. 39: Turci mortificantes pedites, peregrinos, puellas, mulieres, parvulos ac senes, nulli parcentes aetati.

5) Alb. Aq. II. 41—43.

gressus [1]), Hugone Magno et Raimundo adjuvantibus, tandem vincit. Dissolutis catervis hostes fuga salutem quaerunt. Victores Turcas fugientes sex milliaria persequuntur [2]). Alii in hostium castris captis praedam ditissimam faciunt.

Pugnaverunt hoc die utraque pars a prima luce usque ad meridiem [3]). Ceciderunt Turcarum tria millia.

Sic de die funesto dies factus est gloriosus.

## Christianorum exercitus a Dorylaeo usque ad Antiochiam Syriae proficiscitur.

De exercitus itinere a Dorylaeo per Pisidiam et Cappadociam usque ad Antiochiam Syriae facto nihil dici potest, quod dignum sit commemoratu [4]).

Kilidsch Arslan fugatus christianorum exercitui, eandem viam sequenti, difficultates parabat maximas, agros vastans, depopulans habitatores. Unde factum est, ut exercitus in hoc itinere interdum inopiam magnam pateretur et perferret [5]).

In hoc itinere accidit quoque, ut Godefrido periculum maximum facesseretur. Ursus eum appetit et graviter vulnerat. Godefridum autem sui ad tempus adjuvant servantque ex periculo [6]).

Ab urbe Ercle, prope a Ciliciae portis sita, summus exercitus viam carpit Caesaream Cappadociae, tangit Cocussum et Mariscum, et proficiscitur Antiochiam Syriae [7]).

1) Rad. 30.

2) Raim. p. 142: per primam et alteram diem, per totam viam equos inimicorum mortuos cum dominis ipsis reperimus.

3) Gest. IX.: ab hora tertia usque in horam nonam perduravit haec pugna.

Fulch. V.: a prima diei hora usque ad sextam nos anguste coërcuerunt: sed tunc nobis affuit mirabiliter Divina gratia.

4) Raimundus (p. 142) paucis verbis: Itaque devictis, inquit, et profligatis Turcis, pacifice et alacriter per Romaniam usque Antiochiam pervenimus.

5) Gest. IX. Fulch. V. Alb. Aq. III. 1—3. Will. Tyr. III. 16—18.

6) Alb. Aq. III. 4. Will. Tyr. III. 17.

7) Gest. XI. Fulch. VI, Alb. Aq. III. 27—37. Will. Tyr. III. 18.

Tancredus ab urbe Ercle recto itinere per Ciliciam progreditur [1]).

Idem facit Balduinus, Godefridi frater [2]). Sed hic separatim iter pergit in terram Edessae, ubi regnum sibi constituit [3]).

Godefridus ceterique principes in fines Antiochenses perveniunt die duodevicesimo mensis Octobris [4]).

## Christianorum exercitus Antiochiam obsidet.

Antiochia quoque in manibus erat Turcarum, urbs permagni momenti, munitissima natura atque opere, applicata monti in parte australi, cujus verticem summum, parti occidentali finitimum, ornabat castellum, quodammodo tecta in parte septentrionali palude, in qua pons erat factus, et Oronte fluvio, cui quoque, urbis angulum caurinum tangenti, pons erat impositus, circumdata in circuitu amplissimo muris validis, in quibus quadringentae quinquaginta turres erant exstructae [5]).

Cujus urbis possessionem viribus intentis obtinere Turcas, Turcis eripere nisos esse christianos, facile intelligendum est.

Urbem paene octo menses in obsidione christiani tenuerunt [6]). Per hoc tempus pugnae innumerabiles sunt pugnatae. Quas omnes explicare nolumus. Attingimus summas.

Urbs habebat quinque portas [7]), portam St. Georgii in parte occidentali, portam pontis, a ponte ante eam exstructo ita nominatam, portam ducis, sic dictam a Godefrido duce [8]), et

---

1) Gest. X. Fulch. VI. Alb. Aq. III, 5—17. Will. Tyr. III. 19—25. Rad. 33—47.

2) Gest. l. c. Fulch. l. c. Alb. Aq. l. c. Will. Tyr. III. 19.

3) Fulch. VI. Alb. Aq. III. 19—21. Will. Tyr. IV. 1—6. Rad. 47.

4) Gest. XII. Fulch. VII. Will. Tyr. IV. 7—8.

5) Gest. 32. Alb. Aq. III. 38. cf. III. 32. Fulch. VII. Raim. p. 143. Will. Tyr. IV. 10. Rad. 48.

6) Gest. 32: per octo menses et unum diem.

7) Will. Tyr. IV. 13.

8) Will. Tyr. IV. 14.

portam canis in parte septentrionali, portam St. Pauli in parte orientali. Pars australis nullum habebat exitum nec portam.

Postquam principes in consilium ierunt, utrum obsidio statim esset efficienda, an Alexii imperatoris auxiliares essent exspectandi ac tempus aestivum, urbis statim obsidendae ceperunt consilium [1]).

Sic coepta est urbs obsideri ad diem vicesimum mensis Octobris [2]). Portam St. Pauli obsident Boamundus, Tancredus, Hugo Magnus, Robertus Normannus et Robertus Flandrensis, portam canis Raimundus et Ademarus, portam ducis Godefridus dux. Obsidione vacant porta pontis atque urbis tota pars occidentalis australisque [3]).

Urbi erant praesidio ad sedecim vel septendecim millia militum [4]). Militum christianorum numerus ad trecenta millia, exceptis mulieribus ac parvulis, fuisse narratur [5]). Bagi Sijanus, urbis princeps, omnibus rebus ad vitam necessariis urbi provisis, regionem universam, quantum poterat, devastaverat [6]). Tamen christiani primo obsidionis tempore tanta victus copia abundant [7]), ut securi de inopia certe exspectanda vivant luxuriosissime. Bagi Sijanus quum videat, christianos ad impetum faciendum tardos esse, eruptiones per portam pontis et portam canis quotidianas facit, ut ex utraque porta, ex utroque ponte et

1) Will. Tyr. IV. 12.

2) Raim, p. 149. Gest. 12. Fulch. 7.
Will. Tyr. IV. 12: mense Octobri, octava decima die mensis.

3) Will. Tyr. IV. 12. Alb. Aq. III. 38—39. Rad. 49.

4) Raim. p. 143: erant in civitate duo millia optimi milites et quatuor vel quinque millia militum gregariorum atque decem millia peditum et eo amplius. W. T. IV, 11: sex millia equitum et quindecim millia peditum. cf. Rad. 55.

5) Albertus Aq. (III, 37) numerum refert duplicem. Kemal.: trecenta et viginti millia.
W. T. IV, 12. Raim. p. 143.

6) W. T. IV, 11: Circumeuntes itaque regionem, suburbana spoliant; frumentum, vinum, oleum et caetera vitae necessaria, greges quoque et armenta inde secum trahentes.

7) Raim. p. 143. Gest. 12.

ab altera fluvii ripa hostium turbas vexet, et partem transfert praesidii magnam in castrum Harenc, quatuordecim milliaria ab urbe remotum, ut inde quoque hostes perpetuo turbet iisque faciat quodcunque damnum.

Quae videntes christiani quum hostium pontes interscindere non possint, brevi tempore saxis ingentibus et roboribus permagnis portam canis obstruunt [1]), pontem navium ante portam ducis fluvio injiciunt [2]) et Boamundo duce in castrum Harenc Turcis obviam eunt, ubi, jactura non parva initio accepta, iis tantam faciunt jacturam, ut duo eorum millia cadant [3]).

Adepta victoria castellum in monte Maregart exstruunt [4]), simul ne hostes inde Boamundi castra amplius turbent, simul ut exercitus christianorum ab hoc latere ad urbem propius accedat.

Exeunte anno millesimo nonagesimo septimo, duobus mensibus obsidionis nondum praeteritis, miserias gravissimas christiani perferunt ac patiuntur [5]). Victum consumserunt quemque. Conficiuntur inedia. Equorum pars major jaculis hostium est occisa [6]). Pabulum deest ad partem alteram servandam. Armenta perierunt omnia. Alimenta maximis pretiis emuntur. Multi vitam trahunt, cadaverum carnem, arborum cortices et alias res edentes. Miseriae augentur [7]), quod tempestates et imbres, quibus tentoria putrefiunt, et frigus et vapores cadaverum insepultorum efficiunt pestilentes morbos ac lues, ut rapiantur multa millia [8]), et quod

1) W. T. IV, 15.

2) W. T. IV, 14. Alb. Aq. III, 40—42. Fulch. VII.

3) W. T. V, 1—2.

4) Gest. 13.

5) Fulch. VIII: canes etiam et mures comedebant et grana in stercoribus reperta. Frigora, flagra, calores, pluvias densas propter deum perpessi sunt.

W. T. IV, 17. Alb. Aq. III, 50. Rad. 60—61.

6) Alb. Aq. III, 60—61. Rad. 54.

7) Fulch. VIII: tentoria etiam jam erant inveterata, imbrium inundationibus putrefacta et disrupta, qua de re multi eorum nonnisi celo tegebantur. Rad. 54.

8) W. T. IV, 17: Sic ergo his abeuntibus, aliis vero languore et fame

eodem tempore christianorum principes duo, Robertus Normannus, qui abest, et Godefridus dux, qui morbo gravi conflictatur, non satisfaciunt officiis [1]).

Miseriae sunt maximae. Unde sumere victum hominum? Ubi quaerere pabulum equorum? Abs quo exspectare auxilium in miseriis?

Ut miseriae amoveantur, Boamundus et Robertus Flandrensis in regiones remotas victum quaesituri pabulumque convecturi exeunt cum suis. Jam altero die [2]), die tricesimo mensis Decembris, host.bus occurrunt, qui, a Bagi Sijano in auxilium advocati [3]), ex terra Damascena recto itinere ad Antiochiam properant, ut, Bagi Sijano ex incommodis liberato, christianos viribus contractis conficiant. Sunt tres principes Damasceni Dekak, Tagthigin et Dschanah Eddewlet.

In utraque parte acerrime pugnant. Neque eo secius neutra pars vincit, neutra pars vincitur. Boamundus et Robertus, spe victus quaerendi et pabuli convehendi omnino ad irritum redacta, ad castra redeunt, tantum unum commodum consecuti, ut principes Damasceni supra dicti ab hoc tempore Bagi Sijanum periculo liberare desistant.

Cladem acceperunt eodem tempore ante Antiochiam Godefridi ducis et Raimundi comitis copiae [4]). Ex consensu principum omnium tota castra christiana vallo fossaque muniuntur.

Turcarum principes ipsi ex terra Haleb ad Antiochiam properant, ut Bagi Sijano auxilium ferant, et christianorum equites sibi obviam egressos ad pugnam irritant. Pugna pugnatur die undecimo mensis Februarii. Victoriam adipiscuntur christiani [5]).

---

consumptis, aliis etiam peremptis gladio, adeo comminutus erat exercitus, ut vix ejus dimidium videretur superesse.

1) Raim. p. 144. W. T. IV, 18. Rad. 58.

2) Raim. p. 144—145. Gest. 13. Alb. Aq. III, 51—52.

3) W. T. IV, 11: omnes principes sollicitabat orientis. Kemal. p. 33—34.

4) Raim. p. 144: non causentur neque irascantur in nos, servi Dei, si tam aperte pudorem exercitus nostri memoriae mandamus. W. T. IV, 18.

5) Raim. p. 143. Kemal. p. 34—35. Gest. 17. W. T. IV, 19.

Pedites eodem die ad pugnam eruptionibus crebris cogit Bagi Sijanus, nec victoria reportata nec commodo adepto.

Ex quo christiani spe majore ducuntur. Quum principes terrarum urbi finitimarum, Bagi Sijano auxilium laturi, vel sint victi vel desierint ab incepto, quum hiemis tempestates imbresque cessaverint, quum habitatores regionum vicinarum ac remotarum ad inopiam tollendam frumentum et commeatum ad castra supportent, in loco excelso, e regione Turcarum pontis sito, quem Turcae Machumaria [1]) vocabant, castellum exstruere atque ante portam St. Georgii munimenta instituere nituntur, ut, hostium eruptionibus prohibitis, urbem a tribus partibus obsessam eo celerius expugnent.

Christianorum permultum intererat, castello exstruendo viam ad portum St. Simeonis, ponte adhuc clausam, aperiri. In eodem portu Genuensium classis in ancoris consistebat [2]), cujus manu adjutrice Antiochiae obsessores mox urbem sese esse expugnaturos, et cujus artifices ad castellum exstruendum opem optimam laturos esse sperabant. Bagi Sijanus de his rebus certior factus omnes vires intendit, ut hostes conatu prohibeat. Intendit autem vires frustra.

Boamundus et Raimundus ex occulto in portum St. Simeonis exeunt [3]), ut Genuenses in castra ducant. Redeuntes, multis occisis, a Turcis in fugam vertuntur. Malo nuntio autem in castris audito ceteri principes cum suis statim Turcis, qui omnes ex urbe ad pugnam egressi sunt, obviam eunt illisque edunt gravissimam stragem.

Godefridi ducis equitum virtutem miraculo fuisse et Godefridum ipsum virtute superasse, omnes scriptores una voce testantur. Godefridum uno ictu Turcae caput a corpore separavisse, imprimis enarrant [4]).

---

1) Gest. 18. Raim. p. 143. Rad. 49. W. T. V, 4.

2) Gest. 18. Raim. p. 147.

3) Gest. l. c. Raim. l. c. Alb. Aq. III, 63—66. W. T. V, 4—6.

4) Raim. p. 147. Alb. Aq. III, 65. Rad. 53: Quis de Godefridi viribus stupendis praesumat, cujus ense trajectus Turcus duo factus est Turci: ut inferior alter in urbem equitaret, alter arcitenens in flumine nataret. W. T. V, 6.

Qua pugna pugnata christiani castellum e regione Turcarum pontis exstruunt, quod principes commendant Raimundi tutelae [1]).

Duabus partibus omnino obsessis tertiam partem obsidere et portam St. Georgii claudere moliuntur. Quamobrem munimenta ante hanc portam instituunt. Nemo autem invenitur, qui locum tenturus sit periculosissimum. Tandem Tancredus, inde a cunabulis pericula amans, principibus ei quadringentas marchas pollicitis, ad locum tenendum se paratum esse declarat. Fidem servavit Hostibus perpetuo fuit terrori [2]).

Tempus propius accedit, quo urbs Antiochia, necessitate coacta, in ditionem principum christianorum se dedat. Quam deditionem efficit Boamundus. Non de nihilo agit. Ex Italia profectus sola cupiditate, regni in terris peregrinis sibi statuendi, ardet. Nondum expleta .est cupiditas. Nunc ipsum tempus adesse ipsi videtur. Antiochiam ipsam caput regni statuendi sibi elegit. Quare nullam occasionem dimittit, admirabili audacia ac virtute eximia aliis excellendi. Christiani quum ante Antiochiam inopia summa premantur, principes cogit, ut Antiochiae possessionem adipiscendam sibi cedant. Studio irrequieto omnes adhibet vires, ut Antiochia devincatur. Assequitur finem. Cupiditas expletur [3]).

Armenius quidam [4]). Firuz nomine, in urbis parte occidentali praefectus praesidii turris angularis, injurias a Bagi Sijano sibi illatas ulcisci molitur. Cum Boamundo consilia consociat clandestina, quomodo et quando urbis obsessoribus aditum patefaciat. Nox diei septimi mensis Junii destinatur [5]). Ex composito Boa-

1) W. T. V, 7.

2) W. T. V, 8. Raim. p. 148. Gest. 19. Rad. 50—52.

3) Rad. 65. W. T. V, 13. 16—17.

4) W. T. V, 18—22. Raim. p. 149. Alb. Aq. IV, 18—24. Rad. 66—67. Gest. 20.

5) Raim. p. 149: capta est igitur civitas Antiochiae tertio nonas Junii, obsessa autem circiter undecimo kalend. Novemb.

Alb. Aq. IV, 25: feria quinta erat dies serenissima, quando tertio non. Junii mensis tradita et capta est civitas Antiochia.

Fulch. VIII: Ab ipso autem mense Octobri, usque dum subintraret Junius mensis, urbis obsidio perduravit.

Kemal. p. 36—39.

mundus prima nocte multo cum strepitu ex castris suos educit eosque circumducit per plures horas in montibus ac silvis, ut Bagi Sijani fallat opinionem. Albente autem coelo cum suis in turrim supra dictam ascendit. Festinantissime omnes urbis portas aditusque aperiunt. Godefridus ceterique principes, Boamundi conscii, ad irruptionem faciendam suos habent paratos. In hora urbs expleta est christianis.

Christiani urbem ingressi furunt ut belluae ferae, praedantes, latrocinantes, sanguinem facientes, et quibuscunque voluptatibus cum magna libidinum intemperantia per biduum fruuntur, in diem viventes. Ad scelera opprimenda et ad ordinem restituendum principes non satis valent.

Bagi Sijanus, gladiis hostium in urbe vitatis, extra urbem ingloriam oppetit mortem [1]).

## Christianorum exercitum Kerbuga Mosulensis in urbe Antiochia inclusum tenet.

Antiochia urbe sub christianorum potestatem redacta, miseriae non desinunt. Fiunt majores. Kerbuga Mosulensis cum copiis innumerabilibus [2]), quarum numerus exercitum christianorum ter superat, ad urbem accedit et christianos in angustias magnas compellit.

Nonnullae equitatus Lotharingiensis turbae, cognito Kerbugam adventare, illi obviam procedunt, ut pontis ferrei transitum claudant, vi nimia autem hostium in urbem se recipere coguntur [3]).

Kerbuga certior factus, Bagi Sijanum jam mortuum atque urbem in hostium ditionem traditam esse, ulciscendorum hostium consilium capit. Quare castris in urbis parte occidentali collocatis, multitudinem copiarum magnam in urbis castellum, a Bagi

1) Raim. p. 149. Gest. 20. Rad. 68—69.
Alb. Aq. IV, 26. W. T. V, 23.

2) Rad. 72: Corbozan regis Persarum dux cum quadringentis millibus equitum adest, urbem obsidet, inclusis mortem minatur et carcerem.

3) Alb. Aq. IV, 30. W. T. VI, 3. Kemal. p. 39.

Sijani filio usque adhuc obtentum, traducit, ut postero die, die nono mensis Junii [1]), simul in tribus locis, ad pontis castellum, ante St. Georgii portam et ab urbis castello hostes aggressus urbem expugnet deleatque uno ictu christianos. Quam mentem voluntatemque susceptam non est assecutus.

Turcarum impetus in pontis castellum factos christiani fortiter propulsant. Turcas ex urbis castello erumpentes perseveranter repellunt. Turcis ante St. Georgii portam pugnantibus tenaci passu resistunt. Hoc loco quidem Turcae, coelo vesperascente, victoriam reportant exiguam, sed complures catervae cum christianis recedentibus per portam in urbem irruentes ad posteri diei lucem ex urbe rejiciuntur [2]).

Kerbuga quum hac pugna triplice nihil peperit commodi, quum christianos maxima cum perseverantia ac virtute pugnare animadverterit, quum et incenderint pontis castellum sua sponte desertum christiani [3]), de spe urbis tali modo expugnandae hostiumque delendorum decedit mutatque consilium. Ab urbis parte occidentali movet et castra ponit in altera fluvii ripa [4]), ut vel eruptionibus pugnisque, ab urbis castello quotidie repetitis, hostes fatigatos pedetentim perimat vel fame suffocet.

Inde ab hoc tempore christiani in angustiis miseriisque versantur maximis per dies viginti [5]). Copia alimentorum parva brevi tempore consumta, ad vitam trahendam miserrimam cibum sumunt pessimum, ne fame conficiantur [6]). In valle, sita inter

1) Raim. p. 149: post tertium diem nostri in nonis ejusdem mensis Junii a paganis obsessi sunt.

Alb. Aq. IV, 29: in ipso mane Sabbati, quod illuxit tertia die postquam urbs capta est, assunt universae barbarae nationes in apparatu copioso, quas Corbahan ex universis regnis orientalis plagae contraxerat, obsidionem faciens.

2) Gest. 23. Raim. p. 150.

3) Raim. p. 150. Alb. Aq. IV, 33. W. T. VI, 6.

4) W. T. VI, 4.

5) Gest. 32: postea fuerunt (Franci) intus inclusi tres hebdomadas a Turcis et ab aliis paganis.

6) Gest. 26: inimici Dei ita tenebant nos inclusos in urbe Antiochiae, ut multi mortui fuerint fame.

urbis castellum et montem a christianis obtentum, quotidie a primo diluculo ad multam noctem pugnare coguntur. Omnes fortiter pugnant, sed animum despondent, spe Turcarum vincendorum abjecta. Multi pugnare recusant. Pars magna clam aufugit [1]. Ceteri ita debilitati atque abjecti sunt, ut ad pugnam perseverandam vix permoveantur. Praeterea quum nuntium accipiant, Alexii auxiliares in itinere ad Antiochiam versatos Constantinopolim rediisse [2], nemo est, qui dubitet, quin omnes diebus proximis mortem oppetant certam, et nemo est, qui principum obtemperare velit mandatis.

Quibus miseriis coacti principes inter se conveniunt, urbis custodiam et summum copiarum imperium credi Boamundo [3].

Boamundus fidem praestat. Audet ultima. Ut milites e domibus ad pugnam arcessat et obedientiam quodammodo restituat, urbis partes nonnullas incendit [4]. Exeunt milites e domibus, sed se denuo in urbe adversus hostes pugnaturos esse denegant. Denuo spe hostium vincendorum frustrari nolunt.

Animum debilitatum erigunt his temporibus multa portenta ac miracula. In St. Petri ecclesia, quem locum Andreas apostolus Petro Bartholomaeo cuidam significavit, reperiunt lanceam, qua Christi latus quondam est transfixum [5].

Christum ipsum Stephanus quidam testatur ad pugnam perseverandam adhortatum esse hisce verbis: convertimini ad me

---

Raim. p. 153: plerique milites sanguine equorum vivebant.

W. T. VI, 7: quid plura? Camelos, asinos, equos, mulos et immunda quaelibet et indigna relatu, suffocata et morticina, quotiens dabatur ex his aliquid habere, pro summis habebant deliciis. Alb. Aq. IV, 34. Kemal. p. 40.

1) Raim. p. 153. Gest. 27. Alb. Aq. IV, 37. Fulch. VIII. W. T. VI, 5. 10—11.

2) Gest. l. c. Alb. Aq. IV, 40—41. W. T. VI, 12. Rad. 72.

3) Raim. p. 153: ut (Boamundus) de custodia civitatis et de bello disponeret — usque ad quindecim dies post bellum. W. T. VI, 5.

4) Gest. 26. W. T. VI, 13.

5) Raim. p. 150—151. Gest. 25. 28. Fulch. 10. Alb. Aq. IV, 43. W. T. VI, 14.

et ego revertar ad vos. Si feceritis, usque ad quinque dies vestri miserebor [1]).

Nunc quum maxime coram copiis praesentibus principes jurant, se pugnare non esse desituros, nisi hostibus devictis [2]).

Ita fit, ut milites, animo sumto recenti, in his miseriis maximis pugnam ad ultimum adducant discrimen. Maxima cum violentia expostulant a principibus, ut ex urbe educantur in hostes.

Quae cum ita sint, principes ad Kerbugam mittunt Petrum eremitam, qui postulet, ut Kerbuga cum copiis suis, obsidione urbis liberata, in patriam redeat. Kerbu.a autem postulatum denegans superbissime dicit, se vindicare Antiochiam, alioquin se christianos ad mortem daturum aut in perpetuam captivitatem servitutemque esse abducturum [3]).

Responso ablato copiae christianae sibi imponunt jejunium per triduum parantque studio inter hoc tempus pugnam instantem. Quo triduo praeterito principes copias ex urbe educunt diriguntque aciem [4]) e regione hostium castrorum, urbe Raimundi aegroti tutelae commendata [5]). Exercitus agmina Hugone Magno, Roberto Flandrensi, Godefrido ceterisque principibus ducibus ineunt pugnam. Pugna est impar, quum, ut supra diximus, adversus christianorum centum triginta tria millia [6])

---

1) Raim. p. 152. Gest. 24.

2) Gest. l. c.: Tancredus vero juravit, quia quamdiu secum quadraginta milites haberet, non solum ex illo bello, sed etiam ab Hierosolymitano itinere non esset recessurus.

3) Gest. 28. Raim. p. 154. Fulch. 14. W. T. VI. 15—16. Alb. Aq. IV. 44—46.

4) Gest. 29. Alb. Aq. IV. 47: mane autem facto, omnes in armis christiani milites convenerunt quarta kal. Julii. Fulch. 14: exierunt (Franci) de civitate summo mane, quod quarto cal. Julii tunc evenit.

5) Alb. Aq. IV. 48. Will. Tyr. VI. 17.

6) Orderic. Vit. p. 741: in prima acie fuit Hugo Magnus cum Rodberto Flandrensi comite et XXX milibus Francorum et Flandrensium. In secunda Godefridus dux cum XXX milibus etc. In tertia Rodbertus dux Normannorum cum XV milibus etc. In quarta Haimarus Podiensis episcopus etc. In quinta Rainardus strenuissimus comes cum IV milibus etc. In sexta Tancredus cum IV milibus Apuliensium. In septima Boamundus cum XXX milibus etc. Ultimus exiit de urbe, ut omnibus provideret et singulorum in necessitatibus tutus adesset. Raimundus Tolosanus cum XX milibus ad custodiendam urbem remansit etc.

pugnet Turcarum numerus triplex. Nihilominus Turcarum agminibus compluribus, antequam pugna incipit, propter principum discordiam in patriam reversis et agminibus ceteris inter pugnam confusis atque in fugam conversis, christiani victoriam adipiscuntur gloriosissimam. Fuit dies vicesimus octavus mensis Junii. Christianorum occisorum numerus fuit magnus, multo major Turcarum [1]).

## Christianorum exercitus ab Antiochia Hierosolyma proficiscitur.

Postquam, Kerbuga fugato, christiani ex incommodis liberati sunt, principes epistolam mittunt ad Alexium imperatorem, qua rogent ut Antiochiam accipiat in ditionem et ad Hierosolyma expugnanda mittat auxiliares, quorum summum imperium teneat ipse. Nuntii ad Alexium missi sunt Hugo Magnus et Balduinus Heumacorum comes, quorum ille non redit in orientem, hic moritur in itinere [2]).

Simul epistolam mittunt ad Urbanum papam, qua christianorum gesta ei referant eumque rogent, ut ipse exercitum ducat [3]), praesertim quum Ademarus episcopus die primo mensis Augusti obierit [4]) diem supremum.

Ut autem exercitus, tot miseriis perlatis et laboribus maximis superatis, requiescat et vires debilitatas recreet, principes iter Hierosolymitanum usque ad diem primum differunt mensis Novembris [5]).

Inter hoc tempus principes cum suis partim in urbe Antiochia, partim in vicino morantur, sive se dantes quieti, sive

1) Gest. 29. Raim. p. 154. Kemal. p. 40—41. Alb. Aq. IV. 48—56. Will. Tyr. VI. 17—22.

2) Will. Tyr. VII. 1.

3) Fulch. XV.

4) Fulch. XIV. Raim. p. 155. Will. Tyr. VII. 1.

5) Raim. p. 155: de itinere propter quod venerant, nostri (principes) usque in kal. Novemb. contra dei praeceptum distulerunt.

contra regionum finitimarum Turcas bellum gerentes[1]). Godefridus in Balduini fratris terra aliquamdiu moratur cum suis[2]). Expeditionem quoque brevem facit in castrum Ezaz, cujus possessorem, Omar nomine, a Ridvan, terrae Haleb principe, obsessum liberet ex obsidione[3]).

Interim Antiochiae possessionem sibi vindicant uterque, et Boamundus et Raimundus. Populus autem ardet ira, quod iter Hierosolymitanum in dies differatur. Quare fit, ut Raimundus cum suis, urbe Antiochia a Boamundo obtenta, inde castra moveat anno millesimo nonagesimo nono, die decimo tertio mensis Januarii[4]) eumque plures principes sequantur.

Godefridus et Robertus Flandrensis ab Antiochia movent die primo mensis Martii[5]).

Raimundus ex Antiochia repulsus regnum sibi statuere nititur in terra Tripolitana. Quem ad finem castrum Arcas prope a Tripoli situm obsidet. Turcae autem castrum fortiter defendunt. Raimundus hostes non vincit. Iter Hierosolymitanum quum iterum tardetur, populus denuo ita ardet ira, ut principes desiderio populi diutius non resistant. Imprimis Godefridus efficit, ut pax cum rege Tripolitano concilietur. Rex pollicetur, se, captivis remissis, nummorum aureorum quindecim millia, equorum, vestium, alimentorum et aliarum rerum ad vitam necessariarum copiam magnam esse daturum[6]).

---

1) Gest. 32.

2) Alb. Aq. V. 13. Will. Tyr. VII, 5.

3) Alb. Aq. V. 8—12. Will. Tyr. VII. 3—4. Kemaleddin (p. 42—43) per errorem a ceterorum scriptorum narrationibus differt dicens, non Godefridum, sed Raimundum castrum obsedisse et Raimundum a Godefrido esse adjutum.

4) Gest. 33: mense Novembrio discessit Raimundus ab Antiochia cum suo exercitu

Gest. 34: decima tertia die intrante Januario Raimundus exivit nudis pedibus de Marra (prope ab Antiochia sita).

5) Alb. Aq. V. 33. cf. V. 28.

6) Gest. 35—36. Raim. p. 169. Will. Tyr. VII. 21.

Quo facto principes cum exercitu tandem iter pergunt Hierosolymitanum die decimo sexto mensis Maji [1]).

Secundum oram maritimam per terras hostiles proficiscuntur. Nonnullas pugnas quidem in itinere pugnant, quae omnes autem nullius sunt momenti.

Noctem itineris ultimam summus exercitus Ramlae peragit [2]). Inde singulae catervae, ordine quovis neglecto, omni festinatione properant, ut quam celerrime in conspicuo habeant urbem sanctam.

Copiae Lotharingienses Godefridi ducis ab Emmaunte, ubi pernoctarunt, ad Hierosolyma properant [3]).

Omnes nudis pedibus et devotione plenissima ingrediuntur. Ecce urbs sancta oculis subjecta! Ecce conspectus diutissime desideratus, merces tot laborum sustentorum! Quantum fuit gaudium, miseriis maximis superatis!

## Christianorum exercitus Hierosolyma obsidet.

Die septimo mensis Junii ad urbem sanctam adveniunt [4]). Urbs, ab anno proximo in ditionem imperii Aegyptii redacta [5]), natura atque opere erat munitissima. Nihilo secius sine mora urbem principes obsident. In parte septentrionali castra collocant Robertus Normannus et Robertus Flandrensis, in monte Zion Raimundus Tolosanus, in parte occidentali Godefridus dux et Tancredus [6]). Ad urbem quam primum expugnandam se parant.

1) Gest. 36: pervenimus Tripolim decimo tertio die intrante Majo ibique fuimus per tres dies. Raim. p. 172.

2) Gest. 36. Raim. p. 173.

3) Fulch. 18. Alb. Aq. V. 43.

4) Gest. 37. cf. H. v. Syb. p. 478 not. 5.

5) Will. Tyr. IX. 10: princeps Aegyptius vix eam (civitatem Hierosolymitanam) mensibus undecim obtinuerat quietam, cum christianus exercitus eam ab indebitae jugo servitutis eripuit.

6) Gest. 37.

Die decimo tertio mensis Junii impetum faciunt, praesertim quum eremita vetus praesagiverit, urbem die postero in christianorum ditionem redactum iri [1]). Hostes autem impetum propulsant [2]). Iam Raibaldus quidam prope adest, ut murum adscendat, quum manus absciditur [3]) et coguntur christiani, ut ad tempus desinant ab oppugnatione perseveranda. Nimis multae difficultates obsessoribus obstant. Ante omnia exstat machinarum et belli apparatus defectio. Fame laborant [4]). Conficiuntur siti [5]). Deficiunt fontes ad sitim exstinguendam [6]). Deficiunt alimenta ad famem depellendam. Deficiunt arbores quoque et artifices tum ad machinas exstruendas, tum ad alium belli apparatum instruendum. Ultro hostes in latebris abditi commeatum et aquam petentibus insidias ubique opponunt [7]).

In his temporibus christiani auxilio juvantur inexspectato. Silvam reperiunt et die decimo septimo mensis Junii Genuensium classis in portu Joppico jacit ancoras [8]). Silva praebet arbores necessarias ad machinas. Genuenses et panem et vinum et belli apparatum et artifices machinis exstruendis aptos supportant.

Multo studio ac labore statim machinas exstruunt. Frustra hostes sagittis jactis et machinis incensis magno sunt impedi-

---

1) Raim. p. 174.

2) Gest. 37: si scalae fuissent paratae, in nostra fuisset civitas manu.

3) Rad. 119.

4) Gest. 37: In illa obsidione panes ad emendum invenire non poteramus, fere per spatium dierum decem, donec venit nuntius nostrarum navium. Rad. 123.

5) Gest. l. c.: in nimia pressura sitis detenti fuimus, ut per sex millia nostros potaremus equos et animalia alia.

6) Gest. l. c. Syloa fons sustinebat nos, sed tamen cara vendebatur aqua inter nos.

Raim. p. 174: Siloë fons non profluebat nisi tertia die.

Raim. p. 175: quinque vel sex nummi satis non sufficiebant alicui sitienti per diem, si aquam limpidam mercari vellent.

7) Gest. 37. Raim. p. 175.

8) Gest. 37. Raim. p. 175.

mento. Inceptum prospere succedit. Raimundus machinas et turrim exstruit, juvante Guilielmo Richau, Godefridus juvante Gastone de Beardo [1]).

Ineunte mense Julio omnes copiae, nudis pedibus et summa devotione ingredientes, ad remissionem peccatorum deique gratiam adipiscendam circa urbem faciunt circuitionem solemnem, quam hostes e muris, quacunque possunt ratione, derident [2]).

Die nono mensis Julii Godefridus cum Roberto Normanno et Roberto Flandrensi et Tancredo ex parte orientali [3]), quo machinas atque turrim de nocte transportaverunt, die decimo quarto mensis Julii Raimundus Tolosanus e monte Zion, impetum renovat. Pugnant viribus intentis. Quo majore labore hostes urbem defendunt, eo majore violentia christiani impetum perseverant.

Die decimo quinto mensis Julii urbs expugnatur [4]). Turri ad murum applicata et ponte de turri in murum demisso [5]) Godefridus est in primis, qui in muro videntur, hostes in urbem repellunt [6]) et christianis urbis aperiunt portas [7]). Duodecim christianorum millia ex sexaginta hostium millibus victoriam reportant [8]).

---

1) Gest. 38. Raim. p. 177.

2) Gest. l. c. Raim. p. 176.

3) Rad. 123: Jam exierat in Julium labor, a diutini certaminis exordio quinquies per septenarium revolutus etc. Ad transferendum nox eligitur etc. Raim. p. 177: Vos, qui haec legitis, non putetis parvum laborem atque industriam ibi fuisse.

4) Raim. p. 179: haec dies celebratur idus Julii ad laudem et gloriam nominis Christi.

5) Alb. Aq. VI. 19.

6) Gest. 38: nostri milites fortiter pugnabant in castello, videlicet dux Godefridus.

Raim. p. 178: inter primos ingressus est Tancredus et dux Lotharingiae.

7) Alb. Aq. VI. 21: quidam peregrinorum ad portas urbis contendentes, serras et vectes ferreos avellunt totumque vulgus intromittunt ad auxilium.

8) Raim. p. 177.

Magnum est gaudium victorum. Exierunt ex patria, ut urbem sanctam ex Turcarum manibus eriperent liberarentque sepulcrum sanctum infidelium potestate. Optime conatum processit. Urbem sanctam expugnarunt, liberaverunt sanctum sepulcrum.

Sed quis scelera crudelitatesque describere vult, a victoribus christianis commissa? Ut ferae bestiae in plateas urbis irruunt rapiuntque domos, gladio hostem unumquemque trajicientes, nemini parcentes [1]). Principes ipsi furore effuso hostium sanguinem faciunt multum [2]).

Item Godefridus est in primis, qui, furore sedato caedeque desita, ad sepulcrum sanctum properant, ut Redemptoris benigni celebrent nomen et gratias persolvant deo misericordi. Eidem devotionis studio satisfaciunt copiae omnes.

## Godefridus rex.

Postquam victores per plures dies vitam vixerunt luxuriosissimam, principibus necessitas eligendi obvenit regis, qui regnum novum sapientia regat et ab hostium excursionibus tueatur valida manu. Eligunt regem principes Raimundum Tolosanum, ex principum numero ditissimum ac potentissimum [3]).

---

1) Raim. p. 179: sed ad templum Salomonis veniamus. Quid ibi factum est? Si verum dicimus, fidem excedimus.

Sed tantum hoc dixisse sufficiat, quod in templo et in porticu Salomonis equitabatur in sanguine usque ad genua et usque ad frenos equorum.

Br. narr. b. sac. 9: in templo Salomonis et in porticu ejus Christiani tanta caede debaccati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum.

Gest. 38: Ibique (in templo Salomonis) talis occisio fuit, ut nostri in sanguine illorum pedes usque ad cavillas mitterent.

Alb. Aq. VI. 21: quorum adeo sanguinis facta est effusio, ut etiam rivi per ipsa pavimenta regiae aulae defluerent.

2) Raim. p. 178: Quantum sanguinem ea die fuderint (Tancredus et Godefridus), vix est credibile.

3) Raim. p 179.

Raimundus quum autem de munere regio recipiendo recuset, Godefridum ducem eligunt octavo die post urbem captam [1]). Nomen regis aspernatus, quia rex corona honoris aurea ornatissimus esse nolit, ubi Christus, rex regum, coronam tulerit spinarum, munus recipit Godefridus [2]).

Quo facto Godefridus postulat, ut Raimundus Davidis turrim tradat adhuc obtentam. Quod Raimundo ita commovet bilem ejusque excitat invidiam, ut postulatum deneget. Sed frustra denegat. Godefridus stat in postulato. Tradit turrim Raimundus [3]).

Godefrido electo rege, Arnulfus quidam efficit, ut Hierosolymorum patriarcha ipse eligatur. Licet multi electionem improbent, quum Arnulfus sit vir avarus arrogansque et flagret infamia, tamen electio constat [4]).

Sed vix hae duae electiones factae sunt, quum regno novo periculum conflatur permagnum. Princeps Aegyptius, ultionem parans, ad Ascalonem exercitum magnum congregavit, ut Hierosolyma, christianis ex urbe sancta repulsis, in pristinum restitueret statum. Minatur, Hierosolymis captis, omnes christianos sese interemturum esse atque erasurum sepulcrum sanctum [5]). Arabum et Turcarum principes et princeps Aegyptius, prius secum discordes, bellum conjungunt contra hostem communem [6]). Explorafo, robur virium hostilium esse grandissimum, Godefridus

1) Gest. 39: ut debellaret paganos et custodiret christianos. Fulch. 18: propter nobilitatis excellentiam et militiae probitatem atque mansuetudinis et patientiae modestiam nec non morum elegantiam regni principem omnis populus elegit. Raim. p. 176: dilata est electio donec ad octavum diem post captam Jerusalem.

2) Will. Tyr. IX. 9: promotus humilitatis causa, corona aurea noluit insigniri.

3) Raim. p. 179.

4) Raim. p. 166: Arnulfus, qui caput omnium incredulorum erat. Raim. p. 180.

5) Fulch. 19.

6) Will. Tyr. IX. 10.

hostibus obviam procedit ad Ascalonem[1]) cum ceteris principibus. Die decimo quarto mensis Augusti ad Ascalonem pugna pugnatur acerrima[2]). Numerus parvus militum christianorum ex hostibus innumerabilibus victoriam reportat[3]). Item Godefridus excellit virtute gloriosissima. Impetu violento in Aethiopum fortium et belli peritorum aciem facto hostes ita dissipat, ut, Tancredo et Eustachio simul impetum mediam in hostium aciem facientibus, pugnae finem constituat[4]). Hostes in fugam se convertunt. Perruptum est periculum. Iterum triumphant christiani de iisdem hostibus[5]) praedamque pariunt ingentem[6]). Hostium occisi sunt triginta millia[7]).

Miserandum est, quod urbs Ascalon propter Godefridi et Raimundi discordiam in victorum non venerit possessionem. Dum enim Raimundus urbem vindicat suam, Godefridus autem

---

1) Will. Tyr. IX. 11: effusis coram deo praecordiis.

2) Gest. 39.

3) Will. Tyr. IX.12: Erant eis (christianis) equitum mille ducenti, peditum vero circa novem millia.

Raim. p. 181.: in exercitu nostro supra mille ducentos dubitanter adscribimus, sed et peditum multitudinem ultra novem millia producere non audemus.

Rad. 138: Tota fremens Aegyptus equitum trecentis millibus sexagena cumulaverat miseratque bellatum peditum numerus sicut maris arena.

Gest. 39: Ammiravissus lacrymando dixit: Quis unquam vidit vel audivit talia? Tanta potestas, tanta virtus, tanta militia, nunquam ab ulla gente superata, modo a tantilla gente christianorum, quod in pugillo potest claudi, devicta? Huc conduxi ducenta milia militum etc.

4) Alb. Aq. VI. 47.

5) Fulch. 19: raro exercitu deus tot millia perfidorum dissipari permisit. Will. Tyr. IX. 12: palma nobis sine labore concessa.

6) Will. Tyr. IX. 12: onerati manubiis et praedam inauditam secum trahentes — usque ad nauseam satiati.

Fulch. 19: Invenerunt in tentoriis gazas multimodas, aurum, argentum, pallia, induvias, lapides pretiosos etc. Reperierunt etiam utensilia multiformia et galleros auratos et anulos optimos, ensesque miribiles, annonam, farinam et cetera multa.

7) Alb. Aq. VI. 50.

jure urbem conjungere vult cum regno, habitatores, de hac discordia certiores facti, utrumque ab urbis possessione excludunt[1]). Non est dubium, quin urbs facta fuerit propugnaculum contra Aegyptios validissimum.

Godefrido scriptores nonnulli tribuunt multas res magnas, quas eum effecisse dicunt, argumentis non allatis.

Legum collectionis, cui inscriptus est titulus: assises et bons usages du royaume de Jerusalem etc., auctor a Godefrido originem ducit multarum legum, quas in cista servatas eum juxta sepulcrum sanctum deposuisse dicit[2]).

Sed maxime dubium est, an Godefridus unius legis fuerit auctor, quum illo tempore defuerint, ut ita dicam, et homines jus dicentes et homines juris beneficio fruentes. Ut mos fuit terrae, ita omnes causae certe sunt discretae.

Item Godefridus multas alias res gloriosas ad regnum corroborandum et ad hostes devincendos effecisse dicitur, bella bellavisse cum principibus Aegypti, Arabiae et Damasci eosque coëgisse ad pacem petendam[3]), urbes Assur, Ascalonem, Caesaream et Ptolemaidem fecisse tributarias[4]), cum terris vicinis instituisse commercium[5]), urbem Joppen munivisse ejusque portum restituisse[6]), ecclesias renovasse, clero providisse, mo-

1) Alb. Aq. VI, 51.

2) Wilken I. p. 307—424. H. v. Syb. p. 516—526.

3) Ekkeh. 19: Godefridus coepit reliquias gentilium quocumque remanentes prosequi etc.

Alb. Aq. VII. 14: principes Arabiae pacem et amicitiam cum duce componebant.

Alb. Aq. VII. 17: grossus rusticus cum duce et Tancredo foedus percussit.

4) Alb. Aq. VII. 12: Urbs Assur claves portarum et turrium duci obtulit, facta ei tributaria.

Alb. Aq. VII. 13: Ammiraldi Ascalonis, Caesareae et Ptolemaidis nihil melius senserunt, ut legatio ad salutandum ducem maturaretur: — singulis mensibus quinque millia Byzantiorum in ratione tributorum reddituri sumus.

5) Ekkeh. 19: pacem firmissimam cum Ascaloniis atque Damascenis gratia commerciorum habuit Godefridus.

6) Ekkeh. 19. Alb. Aq. VII. 12.

nasteriis, ecclesiis clericisque munera dedisse largissima [1]), et in tanta fuisse potentia, ut nomen Godefridi omnibus terris terrae sanctae finitimis injecerit timorem magnum [2]), ejusque imperio etiam mare subjecerit [3]).

Quae quoque neganda sunt fere omnia. Nam hinc sequitur, quod Godefridus fuerit rex potentissimus, ditissimus [4]), felicissimus. Constat autem, Godefridum regem electum ab electionis die usque ad mortem anno post obitam in statu miserrimo esse versatum. Constat Godefridum fuisse regem pauperrimum [5]), potestate quaque regia carentem, vi temporum vinctum, miseria cumulatum, semper ductum mente voluntateque boni publici juvandi, sed ubique retentum difficultatum multitudine magna.

Unde praeterea sumsit Godefridus facultatem, pecunias, homines [6]), ut bella gereret in populos finitimos, mari imperaret, habitatores terrae domaret indomitos, terrae muniret urbes, saluti provideret ecclesiae?

Nihilominus laudem Godefridus sibi peperit maximam. Fecit, quantum potuit facere. Regnum servavit.

Hierosolymis expugnatis pars exercitus magna in patriam redit. Pugna apud Ascalonem pugnata, et principes reditum

---

1) Ekkeh. 19.

2) Alb. Aq. VII. 13: incubuit timor christianissimi ducis universas terras et regiones gentium.

3) Alb. Aq. VII. 12: Firmata ac munita civitate Japhet, ab omnibus regnis et insulis christianorum mercatores, vitae necessaria afferentes, ad ejus portum accedebant.

4) Alb. Aq. VII. 13: donorum copiae duci accrescebant in frumento, vino, hordeo et oleo plus quam dici possit—datis muneribus auri et argenti. Alb. Aq. VII. 16: praeda innumerabili undique contracta homines gentiles alios trucidari, alios jussit (Godefridus) captivari etc.

5) Will. Tyr. IX. 22: dum dux et sui, qui cum eo, ut regnum conservarent, Hierosolymis remanserant, tanta laborarent inopia, tanta affligerentur paupertate, quantam vix aliquis verbo possit exprimere.

6) Will. Tyr. IX. 19: tam modicae erant nostrorum facultates et militantium copiae, ut, omnibus convocatis et certatim concurrentibus, vix invenirentur equites trecenti et peditum duo millia.

parant. Robertus Normannus et Robertus Flandrensis et Eustachius Boloniensis cum suis Laodiceae naves conscendunt. Raimundus Tolosanus Laodiceae remanet. Solus Tancredus remanet in terra sancta ad Godefridum adjuvandum [1]).

Redeuntes misericordia commoti sunt maxima, quod Godefridus ejusque homines tanquam in exilio remaneant [2]). Godefridus omnibus precibus petit a principibus redeuntibus, ut sui suorumque in exilio remanentium memores, in patriam reversi, christianos adhortentur, ut vel ipsi in auxilium accurrant vel auxilia mittant ad regnum novum christianum confirmandum et ad hostes devincendos [3]).

Exeunte mense Octobri Godefridus urbem Assur obsidet. Summa vi laborat, ut urbem expugnet. Sed frustra laborat. Inceptum non procedit, praesertim quum desint naves. Urbis habitatores, hostium belli apparatu et machinis deletis, Godefridum cogunt, ut omnino desinat ab obsidione [4]).

Et Ascalonem in ditionem redigere molitur, ut propugnaculum validum, Aegyptiis oppositum, constituat regno. Quem ad finem urbem Joppen munit ejusque restituit portum [5]). Num autem Ascalonem et pariter Caesaream Ptolemaidemque, pace a Godefrido petita, fecerit tributarias, nobis est dubitandum.

Curam non minimam Godefridus ponit in ecclesiis urbis sanctae restituendis et in clericis instituendis. Amore Christi motus parentes, patriam et omnia sua deseruit, ut sepulcrum

---

1) Will. Tyr. IX. 13.

2) Alb. Aq. VI. 54: parant reditum primores et subditi a diutino exilio, lacrymis affluentes super fratribus in exilio relictis.

3) Alb. Aq. VI. 53.

4) Will. Tyr. IX. 19: solvit obsidionem dux, quum exterius gravem sustineret inopiam et maxime quia naves non habebat, quibus obsessis introitum negaret et exitum.

5) Alb. Aq. VII. 12: post haec dux volens adhuc amplius urgere et subjugare civitatem Ascalonem, et ceteras urbes sub regno Babyloniae deprimere et debellare, Joppen antiquo ex termino dirutam reaedificari murisque muniri constituit: quatenus illic portus navium fieret et ab hac caeteris Gentilium civitatibus locus esset resistendi ac nocendi.

sanctum et urbem sanctam et terram sanctam ex Turcarum manibus eriperet. Amore Christi motus nunc pro viribus curat, ut ecclesiae reparentur dirutae et loca sancta renoventur violata atque clericorum numerus ad cultum christianum necessarius instituatur. Quare instituit, Arnulfo ad sedem patriarchalem promoto, statim viginti canonicos in sepulcri sancti templo, ut hi cultum christianum exerceant, iisque liberalissime beneficia assignat amplissima, jura, privilegia, immunitates [1]. Campanas quoque in ecclesiis suspendendas fieri jubet [2].

Curam eandem Godefridus in possessione ponit tuenda [3]. Timore copiarum christianarum perterriti, multi terrae sanctae habitatores, domibus agrisque desertis, fugae se mandaverunt. Quae bona deserta arripuerunt Godefridi homines. Erat autem opinandum, illos cum Saracenis fugitivis, posthac reversis, causas esse habituros. Possessionem igitur facturus tutiorem, Godefridus constituere coactus est edictum, ut, qui aliquaepiam bona, sive domos, sive agros per unum annum possederit, verus sit possessor [4].

Quo edicto Godefridus efficit, ut multi ex hominibus suis in patriam redituri a reditu desistant [5], ut ceteri bona Saracenorum fugitivorum consecuti eo libentius in terra sancta remaneant, et ut pristini possessores, anno post reversi, jus domorum suarum vel agrorum sibi vindicandorum amiserint [6].

Tancredus excursiones crebras facit in terras Turcarum

1) Will. Tyr. IX. 9. Alb. Aq. VI. 40. Fulch. 18.

2) Alb. Aq. VI. 40.

3) Will. Tyr. IX. 19.

4) Will. Tyr. IX. 19: Hi (christiani reversuri) causam edicto dederunt, ut annua praescriptio locum haberet, et eorum foveret partes, qui, in tribulatione perseverantes, per annum et diem tranquille et sine quaestione aliquid possederant.

5) Will. Tyr. l. c.: nonnulli clam, multi manifeste possessiones, quas acquisierant, deserentes, revertebantur ad propria etc.

6) Will. Tyr. l. c.: quod (annuae praescriptionis edictum) introductum est odio illorum, qui timoris causa suas reliquerant possessiones, ne, post annum redeuntes, ad earum admitterentur vendicationem.

vicinas[1]). Quibus non solum principes harum terrarum perterritos a terra sancta prohibet expugnanda, sed etiam habitatores terrae sanctae seditiosos a seditionibus arcet concitandis. Fructus percipit ipse uberrimos[2]). Tantam praedam interdum capit, ut et Godefrido et Hierosolymorum ecclesiis clericisque munera edat largissima. Damascenorum quidem princeps, omnibus impetibus propulsatis, est invictus. Grossum autem rusticum[3]), cujus terra adjacet Aegyptum, ad pacem petendam et ad tributum menstruum pendendum obligat[4]). An Godefridus Tancredum in his excursionibus non semel juverit auxilio, penitus est in pendenti, quum periculum fuerit, ne Godefridus, alias terras expugnaturus, terram perdat suam propriam. Sed certum scimus, Tancredum cum sexaginta vel octoginta equitibus haec omnia effecisse[5]).

Tancredo meritissimo Godefridus urbem Tiberiadem tribuit praemio eumque instituit Galilaeae principem[6]).

Hae sunt summae rerum a Godefrido Hierosolymis regnante factarum. Godefridum amplius efficere potuisse negamus.

---

1) Alb. Aq. VII. 16.

2) Alb. Aq. l. c.: Tankradus sexaginta milites secum habens singulis diebus Damascum et municipia Turcorum expugnat et praedas a terra et regione eorum abducit.

3) Alb. Aq. l. c.: Tankradus auxilium petens a Godefrido eo, quod terra et civitas grossi rustici sibi rebellarent et redditus reddere dedignarentur.

4) Alb. Aq. VII. 17: Grossus rusticus nolens volens cum duce et Tankrado foedus percussit.

5) Alb. Aq. VII. 16: Tankradus sexaginta milites secum habens. Rad. 139: Wiscardides circiter octoginta sibi ascitis.

6) Will. Tyr. IX. 13: Godefridus solita liberalitate donavit urbem Tiberiadensem cum universo principatu Galilaeae, simul et Caypham cum suis pertinentiis Tancredo.

Alb. Aq. VII. 16: quod (Tabariae praesidium) Tankradus dono ducis ad tuendum susceperat.

Alb. Aq. l.c.: arcem Tabariam cum praesidio restructo Tankradus obtinuit in beneficio, eo quod gratiam in oculis ipsius (Godefridi) invenerit, in officio militari probus, et quia adversariis christianorum indeficiens ad resistendum videretur.

Regni status fuit nimis miser.

Terrae sanctae multa pars fuit adhuc indomita. Paucae urbes, quae vel parum frequentatae vel desertae vel vastae et vacuae sunt, earumque vici vicini a Godefridi hominibus obtinentur [1]). Praeter Hierosolyma Tiberias, Neapolis vel Emmaus, Ramla, Joppe in primis numerantur.

Multitudo magna quum hominum, Hierosolymis expugnatis, et iterum multitudo magna, pugna apud Ascalonem pugnata, cum principibus in patriam redierint neque redeuntium numerum expleverint catervae recentes, Godefridi homines unum aliquem vicum urbis Hierosolymorum complent, quorum vires ad urbes paucas obtinendas vix sufficiunt [2]).

Regni status fuit nimis miser.

Plerique omnes habitatores terrae sanctae sunt Saraceni, qui Godefridi hominum, Hierosolyma et urbes supra dictas obtinentium, numero parvo detrimentum quam maximum important praedando et latrocinando, christianos, quacunque possunt ra-

---

1) Raim. p. 173: Cum vero audivissent Saraceni, qui habitabant in Ramulis, quia transieramus fluvium, qui prope est, deseruerunt munitionem et arma et frumentum multum in areis et messes, quas collegerant.

Gest. 36: Ramola, quam Saraceni dimiserant vacuam propter metum Francorum.

Will. Tyr. IX. 19: urbes, quae in nostram venerant ditionem, paucae admodum erant et locis hostilibus interjectis interpolatae, ita ut summo periculo de una urbe ad alteram veniretur etc.

Fulch. XVII.: de qua (urbe Ramula) Saraceni incolae jam obfugaverant, pridie quam illuc Franci pervenissent.

2) Ekkeh. 19: Godefridus parva licet manu fultus magna quaeque coepit in Domino attentare.

Rad. 139: in id summe miles militem redegerat haerentem abiens, ut, congregatis omnibus, vix ducentae loricae Hierusalem tuerentur.

Alb. Aq. VII. 16: dux ducentis equitibus et mille peditibus terram regionesque grossi rustici ingressus est.

tione, sive publice, sive occulte caedunt [1]) et agriculturam ipsam negligunt, ut augeant miseriam [2]).

Facile est intellectu, hos habitatores terrae indomitos recusare de vectigalibus pendendis, vias facere intutas commerciumque exstinguere et inceptum quodque Godefridi reddere difficilius.

Multum laborant fame Boamundus, Antiochiae princeps, et Balduinus, Edessae princeps, qui, exeunte mense Decembri [3]), iter commune faciunt Hierosolymitanum cum comitatu magno [4]), ut orent in locis terrae sanctae sanctis. In toto itinere, donec ad urbem sanctam adveniunt, solae duae urbes, Tripolis et Caesarea, illis alimenta vendunt et id magno pretio [5]).

Regni status fuit nimis miser.

Boamundus quum et Balduinus, Christi natali festo in urbe Bethlehem celebrato [6]), Hierosolyma redierint, Arnulfum propter

---

1) Will. Tyr. IX. 19: Hi (Saraceni) nostros incaute gradientes viis publicis obtruncabant et hostium mancipabant servituti. Nec solum urbibus egressi habebant suspectas semitas, verum et in domibus, propter inhabitantium raritatem et patulas hostibus murorum ruinas, vix tutus inveniebatur ad quiescendum locus. Nocturni enim fures urbes vacuas et raro habitatore cultas clandestinis irruptionibus effringebant, in propriis domiciliis multos opprimentes.

2) Will. Tyr. IX. 19: et agrorum culturae operam denegabant, ut fame nostros affligerent, malentes ipsi esuriem pati, quam nostris aliquam ministrarent commoditatem.

3) Will. Tyr. IX. 14: hiems enim erat, mensis December.

4) Will. Tyr. l. c.: sexus promiscui tam equitum quam peditum multitudo ad viginti quinque millia fuisse dicitur.

5) Will. Tyr. l. c.: nonnisi hostium reperiunt urbes, unde cum maxima difficultate et alimentorum inopia viam poterant inceptam conficere.

Rad. 140: Hierusalem properant, mirabile dictu, per medios hostes.

6) Fulch, 20: die quarto (i. e. die vicesimo quinto mensis Decembris) Betleem adivimus, ut nocte ipsa dominicae nativitatis revolutionem celebraturi annuam in orationibus pervigiles staremus.

Fulch. 21: anno millesimo centesimo die primo in Jericho coaptavimus, secundo iter remeabile cepimus.

avaritiam et arrogantiam, Godefrido adjuvante, a patriarchae munere removent. In hac recta sunt sententia, ut nihil sit nequius, servo Christi avaro et arrogante. Dagobertus autem, Pisanorum episcopus, ad patriarchatum promotus, aeque pro homine avaro et arrogante se gerit ac Arnulfus [1]). Paulo post promotionem ad sedem patriarchalem factam vindicat urbis Joppes quartam partem et urbis Hierosolymorum possessionem totam. Ut pacem agitet cum patriarcha, Godefridus mansuetus postulatum utrumque adjudicat illi [2]).

Mirari licet, regnum novum christianum ab hostibus funditus non esse deletum, quum Godefridi homines vix suffecerint ad urbes terrae paucas obtinendas et hostium copiae fuerint innumerabiles. Non miramur, quum sciamus, hostes magno in timore fuisse christianorum belli expertorum, hostium principes inter se discordasse et praeterea hostium principem quemque bellavisse cum regni sui nobilitate seditiosa.

Capti sumus misericordia, quod Godefridum, semper et ubique Dei gloriam, nunquam et nusquam terrestria secutum, vires defecerint ad hostes devincendos, et quod decessus maturus a regno corroborando eum prohibuerit.

Mortem obiit Godefridus die decimo quinto mensis Augusti,

---

Radulfus (140) falso: erat autem, inquit, quadragesimalis diei tempus. Gaudia ibi paschalia cum rege Godefrido celebrarunt.

1) Alb. Aq. VII. 7: Dagobertus duci gratus et dilectus fieri coepit collatione potius pecuniae, quam dilectione ecclesiae — inardescens avaritia — Boamundum Balduinumque corrumpens, Godefrido arietem aureum et cetera munera contulit sicque patriarchatus honore sublimatus est.

2) Will. Tyr. IX. 15: assignatae sunt domino patriarchae possessiones, tam illae, quas tempore gentilium graecus habuerat patriarcha, quam quaedam erogatae de novo, ut haberet unde sustentari honeste posset domus patriarchalis.

Will. Tyr. IX. 16: Quartam partem Joppe resignavit (Godefridus) in die purificationis beatae Mariae ecclesiae sanctae resurrectionis. Postea die sancto subsequentis Paschae urbem Hierosolymam cum turri David et universis ejus pertinentiis in manu domini patriarchae resignavit.

anno millesimo centesimo [1]), postquam Hierosolymis regnavit tredecim menses.

Subito in morbum vehementem delapsus et, opinione celerius, mortis celeris sensu affectus [2]) regni nobilitatem et patriarcham ad lectum convocat, ut, peccatorum remissione accepta, ex iis quaerat, quem sint electuri successorem. Omnes quum consentiant, Godefrido ipsi illud esse committendum, Balduinum fratrem designat successorem [3]). Quo facto obdormivit. Non experrectus est e somno.

Godefridus vir nobilis vixit, obiit mortem vir nobilis. Quantulumcumque fecit ad regnum corroborandum, tamen laudem ei tribuere debemus maximam. Fecit, quantum potuit facere. Regnum servavit.

Inter historiae germanicae viros nobiles Godefridus Bullionensis, Hierosolymorum rex primus, semper obtinebit locum insignem.

---

1) Will. Tyr. IX. 23. Fulch. 22. Ekkeh. 20.

2) Will. Tyr. l. c.: Mense Julio dux, valida et incurabili correptus aegritudine, aegrotare coepit ad mortem.

Albertus Aq. (VII. 18) rem aliter narrans: dux, inquit, per Ptolemaidem, Caesaream et Cayphas regredi disposuit. Cui Ammiraldus Caesareae prandium obtulit. Sed ille cibum contradicens tantum de pomo cedri gustans post modicum gravi infirmitate correptus est.

3) Rad. 142: Gottifredus, si, inquit, in mea dispositione statuitur, Balduinum fratrem meum ad hoc culmen suscipiendum idoneum judico.

# Scriptorum opera ad vitam Godefridi tractandam in usu habita.

1. Gesta Francorum et aliorum Hierosolymitanorum. Ex gestorum Dei per Francos tomo I. Editio Bongarsii.
2. Raimondi de Agiles historia Francorum, qui ceperunt Iherusalem. Ex eadem editione.
3. Fulcherii gesta peregrinantium Francorum cum armis Hierusalem pergentium. Ex ead. ed.
4. Alberti Aquensis historia Hierosolymitanae expeditionis. Ex ead. ed.
5. Willermi Tyrensis historia rerum in partibus transmarinis gestarum. Ex ead. ed.
6. Guiberti abbatis historia Hierosolymitana. Ex ead. ed.
7. Roberti monachi Hierosolymitana expeditio. Ex ead. ed.
8. Baldrici historia Hierosolymitana. Ex ead. ed.
9. Rudolphi Cadomensis gesta Tancredi in expeditione Ierosolymitana. Ex Edmundi Martene et Ursini Durand thesauri novi anecdotorum tom. III. Lutetiae Parisiorum. 1717.
10. Ekkehardi libellus de expugnatione Ierosolymitana. Ex Edmundi Martene et Ursini Durand veterum scriptorum et monumentorum collectionis amplissimae tomo quinto. Parisiis 1729.
11. Brevis narratio belli sacri. Ex ead. ed.
12. Belli sacri historia. Ex musei italici tomo I. Parisiis 1687.
13. Epistola Stephani Carnotensis ad Adelam uxorem etc. Ex ead. ed.
14. Orderici Vitalis historia ecclesiastica. Ex Andr. Duchesnii editione scriptorum antiquorum historiae Normannorum.
15. Chronicon Alberici. Ex Leibnitzii accessionum tomo II.
16. Militia sacra ducum et principum Brabantiae auctore Molano.
17. Mansi, sacrosancta concilia ad regiam editionem exacta etc. curante Nicolao Coleti; tom XII. in quo continentur Gregorii VII. papae epistolae.
18. Bouquet, rerum Gallicarum et Francicarum scriptores; tom. XIII. et XIV. in quibus continentur:
   a. Willielmi Malmesburiensis de gestis regum Anglorum libri V. tom. XIII.

b. Sigeberti Gemblacensis chronographia. tom. XIII.
c. Gisleberti Montensis chronicon. tom. XIII.
d. Historia Andaginensis monasterii. tom. XIII.
e. Gesta pontificum Leodiensium auctore Aegidio. tom. XIII.
f. Historia episcoporum Virdunensium auctore Laurentio de Leodio. tom. XIII.
g. Chronicum Saxonicum. tom. XIII.
h. Historia conversionis Ebrardi etc. tom. XIV.
i. Vita b. Idae auctore monacho Wast. coaevo. tom. XIV.
k. Andaginensium monachorum St. Huberti epistola ad Urbanum. tom. XIV.
l. Urbani II papae epistolae. tom. XIV.
m. Philippus I crucem auream expilare prohibetur miraculo etc. tom. XIV.
n. Gesta Urbani II papae. tom. XIV.

19. Annae Comnenae Alexias. Venetiis 1729.
20. Kemaleddin, Geschichte von Haleb. cf. Wilken, Geschichte der Kreuzzüge. 2. Th. Beil. 7 p. 27—45.
21. Wilken, Geschichte der Kreuzzüge. Th. 1 u. 2.
22. Heinrich v. Sybel, Geschichte des ersten Kreuzzugs.
23. Stenzel, fränkische Kaiser.
24. Floto, Kaiser Heinrich IV. und sein Zeitalter.
25. K. A. Mayer, Kaiser Heinrich IV. cf. Band 6 der deutschen Nationalbibliothek von Ferdinand Schmidt.

# Corrigenda.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. | 6 vers. | 7: | imperatorii leg. imperatori. |
| — | 6 not. | 3: | videlbamus leg. videbamus. |
| — | 7 vers. | 8: | Clarumontem leg. Clarummontem. |
| — | 7 vers. | 12: | desrcibit leg. describit. |
| — | 7 not. | 1: | ad aunum leg. ad annum. |
| — | 7 not. | 3: | spatiose leg. spatiosae. |
| — | 8 vers. | 5: | post verbum fuit ponendum est punctum. |
| — | 8 vers. | 13: | conjungem leg. conjugem. |
| — | 8 vers. | 13: | post verbum conjugem ponendum est comma. |
| — | 8 vers. | 16: | dividi commentatos leg. diviti commendatos. |
| — | 8 vers. | 23: | aducaturque leg. adducaturque. |
| — | 9 vers. | 19: | copiditate leg. cupiditate. |
| — | 9 vers. | 30: | post verbum possunt ponendum est comma. |
| — | 9 vers. | 31: | post verbum assumunt delendum est comma. |
| — | 11 vers. | 3: | intellegitur leg. intelligitur. |
| — | 12 vers. | 31: | post verbum angustiis ponendum est punctum. |
| — | 13 vers. | 20: | praestitissit leg. praestitisset. |
| — | 14 not. | 1: | beate leg. beatae. |
| — | 21 vers. | 21: | post verbum et delendum est comma. |
| — | 37 vers. | 1: | post verbum exercitus delendum est comma. |
| — | 37 vers. | 18: | post verbum orant ponendum est comma. |